ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

ANTONII DE HAEN
RATIO MEDENDI,
TOMUS DECIMUS,

COMPLECTENS

TOMUM SECUNDUM

RATIONIS MEDENDI CONTINUATÆ.

ANTONII DE HAEN,

CONSILIARII ET ARCHIATRI
S. C. R. A. MAJESTATIS,
NEC NON
MEDICINÆ IN UNIVERSITATE VIENNENSI
PROFESSORIS PRIMARII,

RATIO MEDENDI,

TOMUS DECIMUS,

SISTENS

TOMUM SECUNDUM

RATIONIS MEDENDI CONTINUATÆ
IN NOSOCOMIO PRACTICO.

ACCEDIT insuper ejusdem autoris TRACTATUS DE MIRACULIS.

Singula Volumina compacta veneunt 3 lib.

PARISIIS,

Apud P. Fr. DIDOT juniorem, saluberrimæ Facultatis Parisiensis Bibliopolam, ad ripam Augustinianorum.

M. DCC. LXXVIII.

CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO REGIS.

PRÆFATIO.

Multis retrò ab annis ſat ſuperque ſcriptitatum de variolis fuit, ut qui nunc hanc telam retexere velit, acta agat. Neque ego tritum hoc opus reſumturus fuiſſem, ſi nihil, niſi quod vel olim ego, vel hucuſque alii, de eo ſcripſerunt, ſcribendum habuiſſem. At multùm eſt rerum mutata facies. Inoculationem variolarum, an conſcientia approbaret, reique publicæ ſalus, diſceptabatur ab unâ parte: ab alterâ, num conſiderato calamitoſo ſeptimi, aut ſaltem decimi quarti cujuſque varioloſi fine, morbi inſitionem non religio clamaret, non commoda generis humani? Peroratum eſt utrinque. Sub judice lis eſt. Judicis vices tempus geret.

Nunc verò, intereà dum ſententiam præſtolamur, & qui inoculationi patrocinantur, & qui adverſantur, variâ eamdem intentione laudant: illi, quòd inoculatio in dies haud minùs cohoneſtetur, quam increbreſcat; hi, quòd illa methodus, ſive eam poſtmodùm omnis orbis terrarum amplectetur, ſive prorsùm expungat, nihilominùs variolarum ſpontanearum cùm theoriam, tùm praxin illuſtraverit ſic, ut ſi uti eâ luce velimus, paucos duntaxat mortuos in poſterum lugeamus; ac præprimis DIVINAM PROVIDENTIAM adoremus, qui pro ſuâ infinitâ ſapientiâ, *cuncta numero, pondere, menſurâque diſponens*, per incertam ſuæ ſortis inoculationem curam naturalium variolarum curæ inſitarum, mortalitatis raritate penè coæquaverit.

Igitur meus nunc eſt in hoc opere animus, hanc noſtræ artis fortunam non ſyſtemate precario, non ratiocinio fallaci, ſed meris veriſque experimentis demonſtrare. Rerum novitate moveri, percelli, terreri ſolemus; nec injuriâ ſæpè: cùm toties temerariam hominum arrogantiam habeat autorem. Rerum novitate perperam terremur, quandò res eædem intemeratâ veritate demonſtrantur. Tueri tunc antiquam ſententiam velle, & præoccupati animi eſt & pertinacis, pondere veritatis tandem confundendi.

Cum plebem, medico, aut ſpontè, aut coactè carentem, hujus illuſtratæ methodi interſit, apud animum ſtatui in germanicam linguam opuſculum vertere. Spes enim me ea alit, foreut patres matreſque fa-

milias, tutores, verbo mortalium quique, qui vel vitiosâ corporis constitutione ab omni prudenti inoculatione semoventur, vel eamdem religione repudiant, vel malignæ popularitatis sub communi methodo vastatione inquam in propriâ familiâ sortem acerbè lamentantur, hanc παλαιοκαινὴν methodum ultrò admoveant, felicique exemplo acceptam pluribus reddant. Benè intentioni meæ dicat *Is cui omnia, a quo omnia, quo sine nihil!*

ANTONII DE HAEN, RATIO MEDENDI, CONTINUATA.

DE VARIOLIS, INTRODUCTIO.

AB XVIII retrò annis de variolis egi multoties, ſive naturali fato hominem adortis, ſive artificio in illum inſertis (*a*).

(*a*) *Anno 1757*, quæſtiones ſæpiùs motæ de Inoc. Var. ad quæ eruditorum reſponſa deſiderantur. *Anno 1759*, Réfutation de l'Inoculation, contre *la Condamine* & *M. Tyſſot*. *Anno 1760*, Theſes ſiſt. Febr. diviſ. §. V. *Anno 1764*, Reſponſio ad viri illuſtris *B. L. Tralles* epiſtolam apologeticam. Hæc in diverſis Tractatibus. In annuo autem opere Rationis medendi, *anno 1757*, Parte II, Cap. III; *anno 1764*, Parte IX, Cap. V; *anno 1765*, Parte X, Cap. VI; *anno 1768*, Parte XII, Cap. VIII; *anno 1771*, Rationis medendi continuatæ, Tom. I, Cap. V.

Per id temporis inoculandarum variolarum methodus variam nacta ſortem eſt; ſic quidem ut nunc admiſſa, atque laudata, apud Gallos, Belgaſque; nunc verò aut voce populi, aut edicto magiſtratûum, hîc fugaretur ex urbibus in rus, ibi in aliquot tempus omninò proſcriberetur. Fuitque tam labilis incertæque famæ methodus, ut mox videretur futura planè popularis, mox iterùm adhiberetur rariſſima, breviqué denuò proſcripta atque damnata, iteratò redderetur vulgaris.

Ecquis cauſam capit ſtupendæ inconſtantiæ? Vel in ſolâ hominum præoccupatorum imaginatione, vel in ipsâ methodo hæc ſita eſt; vel in rebus examinandis, diſcernendis, atque dijudicandis, a parte ſive alterutrâ, ſive utrâque erratum eſt. Eritque fortè in poſtremo hoc vitio bonæ malæve famæ haud minus naturalium variolarum, quam inſitarum detegenda origo.

Profectò nobis mortalibus, ab origine noſtrâ perverſis atque corruptis; quid enim probrum noſtrum reticeam, cujus omnes, ſeriùs ocyùs, velimus nolimus, convincamur? nobis, inquam, ea mentis perverſitas eſt, ea in errores proclivitas, id vilipendium veritatis & æquitatis, ut in motâ quæſtione quâlibet minus quid in

eâ veri atque proficui, quam quod opinioni nostræ faveat, inquirere; impensiùsque quod nostra opinio, quam quod veritas prævaleat, gaudeamus.

Si hoc in quæstionis principio, in quo nos rerum sive novitas, sive raritas, sive etiam singularitas movere solet, duntaxat contingeret, profectò æquitatis, sinceræque in veritatem propensionis quandam ceu umbram habere oppositio videri nostra posset: at verò elucidatis utrinque difficultatibus, suam quemque sententiam tueri velle, & præjudicium sapit, & odium veritatis. Veri itaque publicique commodorum unicè studiosi, utramque variolarum speciem, naturalem & artificialem, æquâ lance libremus, ut demùm quid emolumenti detrimentique altera præ alterâ habeat liquidò constet.

CAPUT I.

Variolas spontaneas inter insitasque instituitur comparatio.

§. I. HANC comparationem sic instituimus. Primò variolæ naturales omnem ætatem promiscuè adoriuntur, infantilem, puerilem, juvenilem, adultam,

ſenilem, imò decrepitam: omnem præterea ſingulæ ætatis ſtatum; invadit enim ſanum, & languentem; gravidam, ac puerperam; æquè peregrinantem hominem, quam domeſticum; æquè militem in caſtris motis movendiſve, quam quietum domi civem; æquè ardente ſirio quam ad brumas decembres. E contrariò inoculatio ſeligit ſibi ætatem homini cum maximè faventem, & corpus ſanum, graviditatis, puerperii, ægritudinumque moleſtiis expers, in mediâ paternarum ædium prædiorumve ſerenitate; in curarum vacuitate, in oportunâ maximè tempeſtate. Undè ſpontè fateamur neceſſe eſt, innumera pericula ab inoculatione præcaveri, quibus infames ſunt variolæ naturales.

Secundò. Variolarum popularitates dantur, quæ & plurimos eodem tempore ſternunt, & horum duodecimum, decimum ſeptimum, quintum, imò & tertium perimunt. Inoculatio verò vix tercenteſimum, vix ſexcenteſimum, imò vix milleſimum perimere perhibetur. Sic ſaltem fama fert. Quam ſi quis minùs æquam arbitratus, iis potiùs fidem adhibendam cenſet, qui unum alterumque è centenario inoculatorum numero mori ſtatuunt, ſemper tamen multam in utriuſ-

que ſpeciei mortibus differentiam deprehendet.

Tertiò. Parentum, tutorumque ſive negligentiâ, ſive præoccupatione, medicus ſæpenumero ad eos qui naturalibus variolis impetuntur, non advocatur; aut ſi vocetur, præterlapſam agendi opportunitatem hic dolet, ſuique ægri aut cum morte luctantis, aut mutilandi, lentâve tabe conficiundi miſereſcit. Inſitor præparat corpus ad inſitionem, idemque hâc peractâ dirigit; ad ſymptomatum immanitatem, ſi qua ſuboriatur, præſto eſt, & auxiliatricem manum, donec morbo bellè defunctus eſt æger, ſolers adhibet. Attentè hoc conſiderantibus cauſa manifeſta fit, cur a ſpontaneo morbo multi, ab inſito pauci ſive pereant, ſive malè mulctantur.

Quartò. Natura ſi variolas genuerit, in opem vocantur medici, chirurgi, balneatores, quorum ſi non maxima, permagna ſaltem pars, funeſtam methodum ſuffocantem ſive lecti tegumentorumque, ſive athmoſphæræ, ſive medicamentorum calore ſecuta, ægrorum quam plurimos mactat. Inſitores ab exordio morbi, ad metam uſque, auram illis conciliant liberam, mutatam, apricam; per eamdem movent; per diem educunt ex con-

clavi, quod intereà temporis unà cum lecto lustratur; liberam alvum servant; ac plurimo potu, eoque cùm diluente, tùm refrigerante corpora implent. Ecquis ingentem hinc mortuorum differentiam oportere sequi non cernat?

Quintò. In variolis spontaneis haud infrequenter ne bonis quidem medicis plebs fidit, sed *clam illis* ab empiricis, a matronis, ab expertam se laudante filicernâ, aut medicamenta porriguntur, aut aëris incenditur calor, sepeliturque intra suam suffocantem athmosphæram æger. Occidi sic multos necesse est, qui inoculatione superstites fuissent, cùm hujus negotii ignarum penitùs vulgus id totum committat inoculatori.

§. II. His utrinque perpensis, meritò quæri videtur, an (suppositâ præprimis in foro, quod aiunt, conscientiæ inserendi licentiâ) æquè medici, quam politica potestas, insitionem variolarum reddere popularem non debeant?

Ut apta detur ad hanc quæstionem responsio, inquirere necesse est, num, quæ inter utramque variolarum facta fuerit comparatio, omnem in modum vera, immutabilis, perpetuaque sit? Ordine quinque §. I. Propositionum responsa adornabo.

Ad *primam* dico, nihil eſſe in hâc comparatione exageratum; adeòque vi hujus propoſitionis præferendas eſſe variolis ſpontaneis inoculatas.

Ad *ſecundam* reor in calculo inoculatorum moderatione nonnullâ opus eſſe. Quandò hi è mortuis ſuis eos expungunt, quibus vel verminoſus venter erat, vel ſubliteſcebat epilepſia, vel pravè affectum quoddam viſcus, vel hæreditariâ connatâve acritate cruor infectus, vel commiſſus in curâ error quiſcumque, ſic ut quem occiderit inſitio, aut nemo, aut vix quiſquam ſit; alterutrum ab iiſdem petimus, vel ut enarratorum pleroſque de ſuo necrologio non demant, vel ut hos de necrologio ſpontanearum variolarum demi concedant. Itaque ſi quotquot inſiti pereunt, in ferali calculo inſcribant, plures ab inoculatione mortuos nobis referint, confirmabuntque *Conſtantinopolitanum* calculum, duos treſve de centum inoculatis mori aſſerentem. Vide meam *inoculationis refutationem*, gallicè ſcriptam anno 1757. Sin verò hoc nolint, ſaltem non prohibeant, ne ex ſpontanearum variolarum catalogo ii expungantur, quos ipſi expunxêre ex ſuo. Profectò neque injuſtè quid a me peti, neque injuſtè quid conceſſum iri ab illis,

censere poterunt: par enim idemque jus competit utrique parti. Utrovis autem modo alterutrum hoc concesserint, propositio hæc *secunda* mutanda præ mendositate erit.

Ad *tertiam*, *quartam* & *quintam* repono, si id quod mox ad secundam petivi æquum esse judicent, comprehendent facilè se idem concedere ad singulam harum trium propositionum sive comparationum debere. Plurimos quippe horum ars tempestiva servasset, quos sera non potuit: undè si artem clinicam cum arte inoculatoriâ contendamus, convincimur denuò longè plures à naturalibus variolis, quam ab insitis mori; cùm his a principio ad usque finem vir inoculandi, inoculatosque administrandi peritus adsit, illis aut medicus nullus, aut ineptus, aut serò vocatus. At verò hoc infortunium non methodi, sed hominum vitio contingit: ita ut si mortalium cunctorum animis id persuaderi posset, ut mox ad exordia morbi, præsertim si & alios idem adortus sit, convocarent medicum, medico negotium relinquerent omne, accuratissimèque quæ medicus fieri oportere judicaret, exsequerentur; si tandem medici chirurgive bonam tractandi] methodum callentes sua præstarent, diffe-

rentia mortuorum utriusque methodi disпареret.

Objicietur mihi, præsentio, valetudo vix læsa frequenter in primo variolarum statu, pustularumque sine præmonitu exortus; adeòque debita a principio auxilia admovendi occasio præter culpam neglecta: dum inoculator & ante contagium adsit, atque a factâ insitione, ad perfectam eruptionem, maturationem, & exsiccationem assiduus invigilet.

Discrimen quoddam adesse inter methodum utramque lubens do; minùs tamen, quam vulgò creditur, adesse concedo.

Primò enim, qui è statu contagionis in eum inflammationis, vix ægrotantes, transierunt, morbum totum vix aliquo cum periculo, ni id generarint errores, absolvere solent.

Secundò, ad eosdem serò vocati medici, aptis instructi præsidiis sunt, ut & prava symptomata sæpè præveniant, &, si qua jam adsint, compescant.

Objicietur mihi 2° id non facilè prævideri, ut medici singuli methodum curandi salutarem amplectentur. Esse eorum plurimos eo imbutos præjudicio vetustatis, ut calentibus lectis, aëre, medicamentis hos ægros tractare oporteat:

multos esse qui censeant haud calidis quidem remediis impugnandum morbum esse, ægros nihilominùs in calidâ immutatâque athmosphærâ esse perpetuò servandos; neque paucos existere, qui aëra tepidulum mutatumque laudent, ægrum verò aut lecto eximi, aut sordidis, sive indusiis, sivè linteaminibus mutari piaculo ducant; alios qui ægros lecto eximant, quo tempore vel hic reficitur, vel balneo insidetur, lecto verò perpetuò ceterùm addicent; permultos esse, qui ex damnosissimo veterum cutaneis in morbis præjudicio, aut venæ sectionem in toto hoc morbo cane pejus & angue vitandam esse doceant, vel eamdem & parcam, & inchoante tantummodò morbo concedant. Cùm nunc impossibile videatur a præconceptâ opinione liberare medicos, cùmque vulgus in hisce cum medico passim conveniat, chimera spes omnis est salubrem methodum stabiliendi.

Profectò veritas compellit me in hâc objectione vera multa agnoscere; consequentiam autem admittere non cogit. Methodum ingentis *Sydenhami*, qui summâ variolarum curandarum famâ sæculo adhinc elucebat, perpauci sequuti sunt. Plures illam, quod cum inexpugnabili præjudicio non conveniret, vilipende-

runt, quamvis ſe experirentur in curâ *Sydenhamianis* medicis infortunatiores. Sic quippe in ſcholis didicerant, ſic patres egerant, paterna veſtigia premenda eſſe proindè judicabant. Calamitatum gentis humanæ miſertus *Hermannus Boerhaavius*, methodum *Sydenhamianam* & voce tyronibus, & interituris nunquam ſcriptis, orbi univerſo ſacrabat. Sed ô præjudiciorum tyrannidem, a tempore immemorabili in mancipatis mortalium animis dominantem! Convicti de præſtantiâ doctrinæ præceptoris, pars quidem eamdem amplexa, felicitate curarum inter medias calumnias inclaruit; pars verò eam theoreticè laudavit, practicè damnavit; pars vetera cum novis commiſcens, utilitatis ferè nihil attulit; pars imperitam multitudinem verita, eique obſecuta, ſtimulum ſuffocavit conſcientiæ.

Quid hîc inoculatotes? Hi univerſi fermè orbis medicis callidiores, *Sydenhami* methodum, cujus in ſpontaneis variolis experti præſtantiam erant, baſin fecêre inoculationis; ſuarum fortunarum præcipuam cauſam eſſe publicè teſtati ſunt; eamdemque ad variolas naturales adhibentes, haud paucos ab inſtantis mortis faucibus eripuerunt.

Haud verò hic ſubſtitêre. Uſu edocti

eò feliciorem hanc methodum esse, quò magis amplificaretur, si paucos mortuos *Sydenham* habuisset ægris bis die lecto exemtis, hi ægris totâ ferè die à lecto remotis, pauciores longè habuerunt: sique idem autor aëre sereno liberoque in ægrorum conclavi servato, fortunatior ceteris medicis fuisset; hi extra conclavia, extra ædes, urbesque, rurali per integrum diem concesso aëre, longè se esse *Sydenhamo* feliciores gavisi sunt. Si ille motu corporis per cubiculum concesso, quam non concesso plures solito servavit, isti vario per ædes, per urbes, per suburbana ruraliaque loca motu, longè numerosiores servaverunt.

Admiremur, & adoremus Dei providentiam! Exemplum *Sydenhami* imitantibus paucis, plurimi secuti *Mortonum*, prioris praxin aut mussitando, aut invehendo, per totam Europam infamarunt, moresque observarunt antiquos. Metus itaque ingens erat, ut laudabilior illa praxis intra pauciores conscriberetur, adeòque frequentiores redirent a naturalibus variolis mortes. Quid hîc providentia? Utitur inoculatorum fortunis, ut medicis antiquâ pravitate sordentibus ostendat, si in spontaneis variolis methodo quâ inoculatores utantur, longè

pauciores ab ipsis fore trucidandos.

Neque porrò est quod dicant id, quod bonum ac laudabile in insitis variolis est, haud esse propterea in spontaneis laudandum. Namque 1° nullam causam proferre possunt, cur morbus, modo quidem diverso contractus, per omnia tamen idem, eâdem methodo non curaretur. 2° Methodum inoculatos tractandi vident eamdem esse, quæ *Sydenhamo* famam æternam conciliavit, sed emendatiorem amplioremque. 3° Testimonio irrefragabili aut norunt, aut nosse saltem possunt, ab inoculatoribus ipsis & admotam ipsorum methodum spontaneis variolis fuisse, & supremo claruisse successu. Ita ut, si sinceri velint candidique audire, fateantur oporteat insignem opem variolis naturalibus prudenti inoculantium assessisse conatu, hasque cùm perpetuò curandas habeant, emendatam hanc curam gratè amplectentur.

At verò oggeret fors quisquam hunc omnem meum vanum esse inanemque sermonem: futurum propediem, ut inoculationum per orbem crebritas omnem fuget spontaneas variolas contrahendi occasionem, ut toties nobis publica scripta spoponderunt.

Futurum hoc unquam nego. Ac *primùm*

quidem, etiamsi cuncti per orbem universum homines primùm ab ipsâ nativitate omnes infantes, deindè omnes pueros, juvenes, adultos, senesque, quos morbus nondùm invasisset, inoculare intenderent; inoculatorum utique prudentiores, se jungerent semper in omni ætate eos, quibus insitionem hucusque negarunt: debiliores, verminosos, epilepticos, gravioribus viscerum obstructionibus, inflammationibus, suppurationibus, scirris & cancris obnoxios, cacochymicos, atrophicos, gravidas, puerperas, lactantes. Hos ergò justâ de causâ ab inoculatione remotos spontaneæ variolæ impetere, suumque perpetuare contagium possunt.

Secundò. Inoculatio haud ita est numeris omnibus absoluta, ut eam brevi universalem fore expectemus. Hominum pars tutâ conscientiâ eam posse institui necdum concedunt, pars mortes ejus, quantumcunque paucas, formidant. Quamcumque enim operam vel inoculantium illustriores, vel conscientiarum directores naverunt, ut hunc scrupulum delerent, inanem hanc experti apud multos sunt. Tum & qui paucos, & qui paucissimos ab inoculationem mori percipiunt, ne sors illa rarior sibi suisve contingat, deponere formidinem nequeunt:

& ad fortunatiſſimorum exemplorum myriades evaneſcere, ad pauca infortunia reviviſcere hic metus ſolet. Undè inoculationis fama alio atque alio anno celebrior obſcuriorve fit. Monarcharum, principum, magnatum exempla, conſcientiâ anxios pacant, leti timidos erigunt: at verò mox paucorum ſive mors, ſive mutilatio, ſive lentus ab inoculatione ſuperſtes morbus abſterret utroſque. Benène an malè, hi, impræſentiarum non examino: id unicè urgeo, quamdiu ſic erit cum inoculatione comparatum, tamdiù & formidabunt eam multi, & quos invadere variolæ naturales poſſint, extabunt plurimi. Si hiſce addas, quos prudentes inoculatores meritò a ſuâ arte removent, eoſque, ut vidimus anteà, numeroſiſſimos; partem ſanè maximam mortalium variolæ ſpontaneæ invadent, tantòque magis, citiùſque, quò frequentiùs inoculabitur. Id enim teſtantur, qui attenderunt, id vulgus lamentatur acerbè, id populoſarum urbium necrologia, id denique candidi viri, licèt inoculando diteſcerent, artiſque ſervare honorem deberent, ingenuè faſſi ſunt. Ita ut certum ſit in ſummâ inoculationis crebritate augeri vehementer naturalium variolarum frequentiam. Nulla hîc præcautio valet. Sive

enim in ædibus ſolitariis, ſive remoto rure inſtituatur operatio, aditus ad illa loca, ab illiſque in urbes pagoſque reditus hominum fit, quos miaſmate infectos in populum ſe prodere officium compellit, medicos, chirurgos, pharmacopœos, curatores animæ, conſanguineos, lotrices, piſtores, laniones, &c.

Cùm igitur ſemper plùs minùs frequentes futuræ ſint ſpontaneæ variolæ, in id unicè intendamus oportet, ut & tolerabiliores ferantur, & pauciores occidant.

Dudùm eſt quod præclari medici id efficere conati ſint, ut ſuprà conſtitit; ſed præjudicia populi, præoccupatio medicorum, principia erronea in aliis morbis capta hæc conamina penè ſuffocarunt.

Error quippe in peſte, ceteriſque morbis cutaneis tractandis is erat, ut cùm a centro ad peripheriam miaſma ducendum videretur, æger calido in aëre ſervandus, calidiſque infarciendus remediis eſſet; cavendum proindè eſſe a purgante, a clyſmate, a venæ ſectione; ſola ſudatoria hîc admitti, quibus venenum a corde pulſum, ſuam ſibi ſedem in cute figeret: ad ſudores autem aëre calido conferente, ac temperato frigidiuſculove nocente, ægrum in calidâ, nec mutatâ atmoſphærâ perpe-

tuò esse servandum, nec lecto, nec indusio unquam mutandum, donec morbus penitùs deferbuisset. Hæc vera demùm causa est, cur ab omni tempore in peste, in variolis, morbillis, scarlatinis, tam horrendas morbus, ni benignioris generis esset, ediderit strages, utì toties ostendi in memoratis in initio variis meis operibus. Famam quidem immortalem *Thomas Sydenham*, uti in Angliâ, ita per orbem universum consecutus, quod acutorum ad cutem morborum praxin illustrasset, emendassetque; opinione autem vetustâ plurimorum animis altè repostâ, plures admiratores quam imitatores habuit; ut pauci omninò essent qui ejus vestigiis pressè insisterent, *Boerhaavium*, aliosque paucos si exceperis. Nonnihil quidem *Sydenhamianâ* emendabant praxin antiquam apud eos qui perterriti infortuniis sæpè suis, fortunamque methodi magni viri admirati, vel clysmata injicere inciperent, ubi olim piaculo duxerant alvum movere variolosis, vel sudatoria suspensiore manu exhiberent, vel acida atque nitrosa intermiscerent, aërisque externi tantillum furtim saltem in conclave admitterent; perpauci verò integram methodum *Sydenhami*, & ne posteà quidem quam *Boerhaavius* eamdem in cœlum extulisset,

exemplisque confirmasset, amplexi sunt.

Jam verò longè major spes affulget methodum salubriorem inducendi. Sub idem enim tempus, quo frustrà ferè *Boerhaavius* ad *Sydenhami* autoritatem stabiliendam vires omnes intenderet, inoculatio ex *Asiâ*, & *Europâ* thraciâ, invecta in *Angliam* fuit, ubi parvam primò fortunam adepta, pluribus dein annis ferè sepulta, demùm ad *Bostoniensium* experimenta rediviva, totum *Britanniæ* regnum, omnemque ferè *Europam* peragravit. Morbi facilis tolerantia, mortuorum paucitas, mutilatorum raritas acceptam hanc quam plurimis reddidêre. Porrò fassi sunt ingenui viri, inoculationis patroni, præcipuam hujus operationis prosperitatem Sydenhamianæ methodo deberi. Effecit hoc, ut paulatim plures medici, etiam insitionis hostes, eamdem methodum alii nonnihil, alii plus, alii plurimùm, in naturalium variolarum curatione adhiberent, suamque minùs sinistram quam olim fortunam, eâ inoculatorum tamen longè infeliciorem, lætari inceperunt. An si integram methodum insitoriam ad spontaneas variolas admovissent, inoculationis fortunam adæquassent? Celeberrimi inoculatores testantur, quandò ad variolas naturales suam me-

thodum integram, exceptâ puris insitione, admovissent, se multos etiam desperatissimos sanitati restituisse.

Undè operæ pretium me facturum confido methodum inoculatoriam sic describundo, uti naturalibus variolis adhibita, cum maximè inclaruit. Si viris eruditis hæc mea dissertatio arrideat, verti illam in patrium curabo sermonem, quo chirurgi, quo balneatores, quo ipsi patres matresque familias, quo denique ipsi ruri derelicti citra auxilium artis homines, methodum felicis curæ discant, observentque.

CAPUT. II.

De inoculatoriæ methodi felicitate in variolis naturalibus obtinendâ, ac primùm de contagio in genere.

Ut claram atque enucleatam hanc methodum proponam, contagium primùm, ejusque naturam indagem oportet, deindè quid ab hâc contagii invasione in singulo variolarum statu producatur, quidque ad singula ejusmodi producta agendum sit. Singuli status singula capita dabunt.

Contagium, sive miasma variolosum,

appellatur ſubtiliſſimum atque inviſibile illud, quod de homine variolis affecto intra athmoſphæram ſuſceptum, alius hominis corpori admotum, ejuſdemque humoribus immiſſum, hoſce mutat, movet, corrumpit; neque corpus relinquit, niſi vel priùs denſioribus rarioribuſque puſtulis contexerit corporis majorem minoremve ſuperficiem, quod frequentiſſimè: vel citra papulas, aut ſudoris, aut urinarum, aut alvinarum fœcum, aut variæ hæmorrhagiæ abſceſſûſve evacuatione, quod rarius, fatiſcat.

Homo qui necdùm paſſus morbum eſt, ſuſcipere hoc contagium, afficique eodem vel poteſt, vel non poteſt; rarò poteſt qui variolis jam priùs defunctus eſt. Non perpauci ſanè eorum, qui iiſdem defuncti necdum ſunt, miaſmate non afficiuntur, quia eidem ſuſcipiendo nondùm apti eſſe videntur. Obſervatum hoc inoculatoribus multoties, etiam inoculationem iterantibus. Medicis veteranis id pluries viſum eſt, frequenter & ego vidi, ut uno pluribuſve infantum eâdem in domo variolas patientibus, unus pluresve ſint, qui eum hiſce conſueſcentes non afficiantur, poſt annum, poſt breviores longioreſve annos afficiundi; nonnulli fortè numquam. Novi qui fors centies in con-

tagii periculo versati, demùm anno ætatis 70 aut 80 inciderent in illas, & ex illis aut sanescerent perfectè, aut perirent.

Homo igitur contagioni contrahendæ non est quocumque vitæ tempore aptus; imò aptus subindè nunquam est: afficitur illo, si sit aptus. Imò præter hanc vel aptitudinem, vel ineptitudinem ad contagionem contrahendam, longæ aliæ subesse videntur, quam vulgò credimus rationes; quæ quo ritè exponantur, inevitabilem digressionem me facere, venenorumque phænomenis veneni variolosi phænomena operationesque illustrare jubent.

Venena haud pauca dantur, quæ nunquam, nisi cum sanguine mista nocent. Consulendus est *Franciscus Rhedi*, nobilis *Aretinus*, vir experimentis ritè capiundis natus, in tractatu cui titulus: *Observationes de Viperis*. Adverterat pullos gallinaceos & columbinos, morsu viperæ mortuos, comestos ab hominibus illibatâ sanitate fuisse; ipsamque viperinam carnem a cane & civetâ citra vel minimum sanitatis detrimentum devorari: hinc ipsi, ceterisque cum eo ad experimenta deputatis eruditis, cogitatio subiit, an in viperinâ felle non esset propria veneni sedes? Dicta proindè dies fuit, in quo de

hâc quæſtione inter eruditos diſceptaretur. Cùm igitur hæc diſceptatio publicè fieret, multaque incerta ſinguli inter ſe mutuos conferrent, « ſtabat, inquit *Rhedi*, » auſcultandi gratiâ in angulo quodam » *Jacobus Sozzi*, viperarum captor, homo » comparandus antiquis *Marſis* & *Pſyllis*, » qui riſum vix tenens, ſubridendo pre» hendit fel viperæ, in quo venenum » ſitum ſuſpicabantur, miſtumque dimidio » cyatho frigidæ, illud gulæ infudit vultu » intrepido. »

Suſpicatus ad hæc *Rhedi* antidotum ab eo homine clam aſſumtum fuiſſe, fel ipſum viperarum & in fauces intruſit pullorum, canumque, & aliis animalibus ad inflicta vulnera cum ſanguine commiſcuit: utì in *Jacobo*, ſic in hiſce animalibus, perſeverantem mirantur vitæ integritatem.

Jacobus demum ille rem detexit totam. In fundo duarum illarum vaginarum, ſeu cavitatum, intra quas repoſitos ſuos dentes viperæ habent, humor quidam ſtagnat, colore & ſapore ſimillimus oleo amygdal. dulcium. Viperæ morſuræ evaginant dentes, exprimuntque liquorem. Hic liquor propriè veneni ſedes eſt, hic hominem & animalia necat ſubitò, ſed non ſemper: a modo applicationis totum pendet. Applicari enim corpori citra detrimentum

potest. *Bosman*, *in Descriptione Guineæ Epist.* 17, historiam refert cujuspiam è suis cementariis, cujus in oculos serpens, lapidibus obrutus ne mordere posset, capite autem liber, sui oris liquorem spumamque impetuosissimè injecit. Præter visus debilitatem, a violento liquidi impulsu triduò perceptam, homo oculis bellè valuit.

Verùm neque ore assumtus liquor nocet. Venator, quem omnes obstupescentes audiebant, hoc ipsis monstraturus, bibit, singulis horrentibus, hunc ipsum liquorem, unà cum spumâ quam animal, virgis irritatum, circùm rictum fundebat, mistum cum aquâ. Dabatur & anati idem, & hœdo: verùm neque his, neque illi vel minimum observabatur sanitatis detrimentum.

Deventum sic fuit ad totam arcani revelationem. Vulnere inflicto gallis, gallinis, imò ultra centum minoribus majoribusque animalibus, centesimam fortè guttæ hujus liquoris partem admoverunt. Intra quatuor horas, mirabile dictu! pleraque mortua erant, nè excepto quidem vastissimo tauro. Incidit tunc fortè in mentem *Cleopatræ* historia, visusque ipsi *Rhedi* fuit *Dion* reginæ mortem veriùs cæteris historicis descripsisse; utpotè quæ,

ut ſe victori *Auguſto* eriperet, ſibi vulnus inflixerit, venenumque eidem inſtillaverit: arcanum *Jacobi* proindè dudùm innotuiſſe mortalibus concluſit. Profectò *Pſyllorum*, gentis *Africanæ*, cujus *Rhedi*, viſo hoc viperarum captore meminerat, hiſtoria probat antiquam fuiſſe ejus arcani notitiem. Videatur *Plinius hiſtoricus*, Lib. 28, cap. 3; *Plutarchus* in vitâ *Catonis Uticenſis*; *Suetonius* §. 17, in vitâ *Auguſti*; *C. A. Celſus*, latiniſſimus ſeculi primi ſcriptor medicus, Lib. V, Cap. 27, §. III. Totum myſterium poſterior eleganter ſic expoſuit: « Neque herculè ſcientiam » præcipuam habent hi qui Pſylli nominantur, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam venenum ſerpentis, ut » quædam etiam venatoria venena, quibus galli præcipuè utuntur, non guſtu, » ſed in vulnere nocent. Ideòque colubra ipſa tutò eſtur, ictus ejus occidit; » &, ſi ſtupente eâ, quod per quædam » medicamenta circulatores faciunt, in os » digitum quis indidit, neque percuſſus » eſt, nulla in ejus ſalivâ noxa eſt. Ergò » quiſquis exemplum *Pſylli* ſecutus, id » vulnus exſuxerit, & ipſe tutus erit, & » tutum hominem præſtabit. Illud intereà » antè debebit attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliâve parte oris, ulcus » habeat. »

» habeat. » Ferè eumdem in modum *Galenus.* Notumque jam *Catoni*, victum *Pompæi* exercitum reducenti, erat serpentes morsu nocere, non verò inquinare quæ bibendæ militibus erant aquas.

Tela *Bantamensium* iis, qualia *Gallis* in usu esse *Celsus* suprà meminit, similia *Batavi* experti, ictu principiò peribant; mortem evaserunt postmodùm, medelam edocti animalis, quod ejusmodi telo (*a*) saucium herbam Indis *mungos* dictam mox quærit, vulnus ad eamdem affricat, eique venenum, ne inficiat cruorem, scitè affigit. Videantur hîc itineratores principes, *Barleus* & *Montanus.* Emta a *Batavis* hæc tela *Rhedi*, vino infudit, pluribus animalibus hoc vinum in os injecit, nec vidit nocumentum; quotquot verò in vulnus infudit, singula vidit indè mori.

Promotis sic experimentis didicit *Rhedi*

(*a*) Qui plura gestit de viperarum veneno nosse adeat eruditissimi medici Richardi Mead *Mechanicam expositionem Venenorum Tract. I. de Viperâ*; unàque tabulam contemplatur opusculo ejus adjectam, de viperæ anatome, quæ mechanismum omnem demonstrat, quo, a conglobatâ glandulâ in folliculum venenosi succi secretio, ejusdemque per foraminosum dentem ad partem morsu vulneratum adplicatio clarè patent.

utilissimam rem, dictorumque demonstrationem. Veneno absolutè, aut saltem per se letali, ea animalia non moriebantur, quibus largior flueret vulnere sanguis. Undè meritò illustris vir summum usum esse conclusit cucurbitarum, hirudinum, suctionum, quibus cruor plurimus, cum eoque venenum vulnere extrahatur.

Et herba *tabacum*, deliciæ universi penè generis humani, quid evidentius demonstrat? Fumus illius delectat fistulâ haustus sic, ut integræ nationes vix majores delicias habeant, suorumque tœdiorum hoc fumo penitùs obliviscantur. Quæ omnium fermè Europæorum voluptas ab ejus in nares attracto pulvere? Quam lustrat infectam pestifero miasmate atmosphæram? Quam divinum remedium herbæ sive decoctio, sive magis adhuc fumus, in ileo morbo per podicem immissus? Vidi ejus pulverem melonibus, quo sapore essent gratiores, largè inspergi; & si quæ scabies tutò adimi possit, hanc tabaci infusum tollit homini brutoque. Interim præsentius venenum ejus oleo non datur; ita ut *Rhedi* animalia complura, ipsamque viperam, mori viderit, inflicto quorum vulneri vel guttulam instillarat. Vide plura apud hunc autorem, *Libro experimentorum circà res naturales*,

maximè Indicas : & medicum *Theodorum Schoon Tabacologiæ*, *pag.* 400 (a).

Igitur, ut è diverticulo in viam redeamus, venenum variolosum homo ore haurire, naribusque potest, neque eo affici tamen, ubi pulmonum aërea superficies, ubi tota superficies oris, faucium, œsophagi, ventriculi atque intestinorum, aut leni muco naturali, aut crassiore muco vitioso investitur, & absorbentium vasorum haustra plùs minùs obstructa habet: undè miasma, muco irretitum, eâ tandem viâ de corpore pellitur, quâ & pulmonum sputa, & intestinorum contenta excerni solent. In pulmone autem rariùs, in ventriculo potiùs, a vasis absorbentibus in sanguinem duci hoc miasma, præcordiorum anxietas, nausea, ac vomitus, a principio sæpè morbi, in plenam usque expulsionem papularum, ægrum molestantes, arguere videntur (*b*). Miasmata

(*a*) Africanæ huic *Psyllorum* genti similes *Rhedi* notat *Marsos* fuisse, *Abrutiæ*, Neapolitanæ ut plurimùm regionis, gentem. *Virgilius* Æneid. VII. *Silius Italicus* Lib. VIII. *Titus Livius* in Bello *Marsico*, hujus populi, veluti ad venena cicuranda famosi, meminerunt. Poëtæ, nonnullique sciptores alii, curam hanc planè physicam utriusque gentis non benè capientes, veriti non sunt magicis eam artibus adscribere.

(*b*) Quibus historia venenorum minùs nota

venenata alia hoc confirmant. Veneni saturnini miasma iners fossoribus esse, si pleno ventriculo laborent, luculentissimis experimentis ostendi in *Rat. Med. Tomo I*, *a pag.* 91, *ad pag.* 94. Imò hebetari ipsum pestiferum miasma, si pane cum aceto præmunitus ventriculus sit, *Sylvius de le Boë*, qui pesti ter interfuit, fidem facit. Vide ejus *de Peste* tractatum.

---

est, crassum errasse errorem videbor, quod vasis primarum viarum absorbentibus vim toxicum absorbendi, sanguinemque venenandi, postquam anteà negassem, nunc hanc tribuam facultatem. Verùm hos petitos velim, ut attendant me ideò duntaxat aliorum venenorum meminisse, ut ostenderem cur alii indè inficiantur, alii minimè; neutiquam verò ut singulorum venenorum naturam, modumque agendi, eumdem per omnia esse statuerem. Profectò inenarrabilis est numerus toxicorum; inenarrabilis singulorum operandi modus. Horum, quamvis adhuc heu nimium! pauca modò nota plerisque Europæorum sunt, nota autem nimis Americanis & potissimùm Africanis; ut empta indè mancipia monstrarunt toties. Familiarissima illis ejusmodi venena sunt, quibus se alii ab aliis, aut liberent, aut vindicent, idque determinato tempore; modo autem ita clandestino, ut qui potionandi veneno sunt, nulla providentia humana evitare id possint. Sed hìc potiùs manum de tabulâ. Præstat sequi magni *Boerhaavii* prudentiam, quam dum *Institutionum* §. 1145 venena quædam indicare debuerat, mox veluti mediâ in viâ subsistens,

Verùm, inquies, si hæc ita se haberent, cur, quibus venenum variolosum nunc insitum, nunc commistum est humoribus, variolæ sæpè nullæ, imò ne minina quidem incommoda suboriantur? Historia data miasmatum demonstrare videtur inoculatorum neminem immunem posse a variolis esse, nisi qui statueret variolas existere, quarum in pure sic foret vis cicurata veneni, ut insita aliis, gignendis variolis ultrà non sit.

Admittenda minimè hæc est phænomeni causa. Cur cicuratum id venenum dicam, quo ipsissimo in aliis eodem & tempore & cubiculo decumbentibus, variolæ numerosæ prodeant?

An porrò non gigneret variolas hoc miasma, si sive puri maturæ pustulæ, sive ichori pustulæ nascentis involutum esset sic, ut a minimo vasculi scalpello sauciati osculo resorberi non posset; in aliis inoculatis autem per osculum vasis vulnerati majoris facilè absorberetur? An

---

sermonem abrupit, dicendo duntaxat: *Et similia, potiùs tacenda.* Itineratores aliquantum, magis autem religionis cujusque missionarii, qui in hisce mundi plures gentium barbararum ad religionem christianam converterunt, eorumque fiduciam obtinuernnt, rescire diabolica hæc secreta potuerunt.

nonnullis eo in loco brachii abſorbentium vaſorum inertia, ſiccitas, collapſuſque, præ defectu tranſpirationis foret? Num lanceola, acuſque infecta ſuum virus ad ſeparatæ epidermidis margines abſterſit, idemque effluente lymphâ, guttulave cruoris indè abluitur? An ab inflicto vulnere profuſior liquidi copia manans, tulit venenum ſecum? Qui in venenorum hiſtoriâ attendit quo pacto non levi inoculationis ſcalpturâ, ſed lato vulnere inflicto, venenum a millenis vaſculorum oſculis, quibus adplicari potuit, profuſiore cruore ſic ablutum fuiſſe, ut mortem evaderent, certò aliàs moritura animalia; fortè aliquam probabilitatem hujus quæſtionis agnoſcet.

Eſt porrò quid hâc occaſione monendum. Et in inoculationis hiſtoriâ, & in illâ venenorum aliorum legimus, quo in loco venenum admotum fuit rebellia ulcera naſci, quorum quidem malignitas non, aut vix reſorbetur intra ſanguinem, ſed domicilium ſuum fœdè depaſcitur. Antequam ergò proſerpat, extrahatur venenum hirudine, cucurbitâ, ſcarificatu. Exemplum teſtatiſſimum eſt *Roberti Normandiæ ducis*, qui in expeditione ad recuperandam Terram ſanctam venenato *Saracenorum* telo vulnus brachii inſanabile

contraxit. Ex Asiâ redux consulit *Salernitanam Scholam*. Solâ suctione vulnus curabile esse schola edixit. Letale illi venenum, qui exsuxisset, futurum ratus dux, curam respuit. *Sybilla* verò conjux, femina formâ ac virtute illustris, meliore profectò sorte digna, quam ut paulò post veneno necaretur, marito dormienti vulnus tamdiù suxit, donec sanesceret, citrà vel minimum detrimentum sanitatis. Vid. *Freind Hist. Med. pag.* 285 (a).

(*a*) Hæc contagii variolosi, venenorumque historia, an ab insitione semel iteratòque factâ, citrà papularum genesin, eam nobis a variolis naturali contagio deinceps suscipiendis immunitatem asseverat, quæ vulgò promittitur? Profectò exempla numero non pauca naturalium variolarum, post inoculationes frustraneas invadentium, hanc negant. Notiores variolæ naturales cùm celsissimæ matronæ de *Boufters*, tùm filii comitis *de Noailles* sunt, quam ut quis subdubitet. Clarus inoculator *Gatti*, qui matronæ inoculationem olim ipsi fecerat, & has veras variolas esse ingenuè fassus est. In actis publicis repetitæ leguntur ejusmodi historiæ. Acta *Haarlemensia* nonnullas hîc necessariò referendas habent. Ac primùm quidem in *Tomo IV, a pag.* 90 *ad* 132 irrita inoculatio describitur, notis omnibus perfectissima: in *Tomo* autem *VI a pag.* 448 *ad* 450 repetitio & elucidatio hujus inoculationis; at verò *Tomo VIII*, *Part. II, a pag.* 260 *ad* 265, variolæ naturales describuntur, quæ eidem

Contagio sic descripto, quid illi observandum, quem id ne, aut invaserit, aut probabiliter brevìque invasurum sit suspicamur? Si benè habeat se ille, neve, quod contradicat, sit, nihil tutius consultiusque venæ sectione habet. Licèt enim hæc institui in methodo inoculatoriâ non soleat, in variolis naturalibus tamen usus egregii esse experientiâ annosiore didici. Purget ventrem deindè tamarindis, cassiâ, mannâ, sale polychresti Segnetti, aut unciis tribus quatuorve aquæ lax. Vien. Aurâ favente leniter obambulet, levibus moderatisque vescatur, diluentem potiùs potum quam stimulantem bibat, blando amicorum consortio fruatur, serenum in cubiculo aërem habeat, maturè lectum quotidiè petat, ac vehementes evitet animi corporisque motus; donec vel metus papularum præterierit, vel pa-

---

puellæ jam maritatæ, ac marito in variolis naturalibus intrepidè assistenti, anno post inoculationem decimo cum dimidio supervenerunt. Historiam pater scripsit, physices cultor eximius, juris consultus celeber, strenuus quidem inoculationis defensor, sed haud minor cultor veritatis. Sequuntur in iisdem Actis historiæ quatuor secundarum variolarum post primas naturales, adeò evidentes, ut nemo contradicere quidquam jure possit.

pulæ appareant. Si verò laſſitudo lumborum, ac capitis dolor, frigus, calor, nauſea, vomitus, certò ſuſceptum contagium docent, alterutrum expectamus: vel variolæ intrà duos, tres, quatuorve dies prodibunt, quod frequentiſſimè; vel, quod rariùs, citrà variolarum eruptionem hæc febris cum ſuis ſatellitibus ſymptomatibus aliâ criſi, communi febrium more, vel & ptyaliſmo terminabitur.

Hoc igitur in ſtatu venæ ſectio inſtituatur, eaque pro ſanguinis, aut copiâ, aut orgaſmo, aut ſuppreſſione repetatur.

Clyſmate ex emollientibus cum nitro ac melle parato venter quotidiè eluatur; bibatur decoctum ex hordeo & radice graminis, cum nitro, rob ſamb. vel ribeſ. confectum, idque copioſiſſimè; inſideat æger manè ac ſerò in calido crurum balneo, horæ ſpatio; delicatioribus balneo egreſſis emplaſtro meliloti planta pedum univerſa tegatur, minùs delicatis epiſpaſtico forti. Noctem in lecto, diei verò potiorem partem extra lectum tranſigat. Veſcatur jure carnium acido vegetabili quocumque admiſto, lacticiniis, oleribus aceſcentibus, fructibus horæis; aëre puro, renovato, atque ita temperato, ut nec calore, nec frigore excedat, fruatur.

CAPUT III.

Status secundus Variolarum, quem inflammatorium appellant.

§. I. STATUI contagioso succedit inflammatorius quem parva stigmata rubra, pustularum origines indicant. In discretis variolis die ab invasione quarto prodire hæc stigmata solent; in confluentibus die tertio, imò & finito necdùm secundo. Si cum invadentis contagionis signis mox, aut brevì post, papulæ prodeant, hæc plerumquè plus negotii medentibus, plus calamitatis atque discriminis ægrotis consciscunt. Neque tutum est eruptionem aut virium defectu, qui rarissimus casus est, aut virium sanguinisque suppressione, quæ causa frequentissima est, ultrà dies consuetos retardare: vena semel pluriesque secta eruptionem, dilatione periculosam, promovet, aërque liberior.

Genæ, labia, collum, stigmata gerere prima solent, pectus deindè, dorsum ac venter, tandem & artus. Quò superius corpus, ac vultum præprimis, numerosiores pustulæ occupant, eò solet vitæ esse periculum majus.

In hoc ſecundo ſtadio multa ſæpè adverſa contingunt, morbi partìm violentiâ atque malignitate, partìm, idque præcipuè, ſive medicorum, ſive ægrotorum, ſive utrorumque errore. Febris in benignis cum ſuorum ſymptomatum catervâ miteſcere poſt eruptionem ſolita, haud raró vel perſeverat, vel augeſcit; adeſt vehemens cephalalgia, ſitis immanis, inceptum delirium, vomitus, nec non intentus lumborum dolor, dedolatio artuum, reſpiratio difficilis, & cum omnibus hiſce vel languidior eruptio puſtularum, vel ita vehemens & conferta, ut obtegat corpus totum.

Non porrò contingit, ut primo alterove die res bellè procedere videatur, ſpemque morbi felicis maximam alat; die verò hujus ſtadii tertio quartove, nec non in ſtadio ſubſequente, multitudine ac gravitate ſymptomatum, ſpem dejiciat ferè omnem. Infortunatiſſimo in morbo hæc ſpontè contingunt, paſſim verò memoratis erroribus. Tumque pauci viribus ita valentibus ſunt, ut neque ſummo periculo, neque interitu ipſo, pœnas luant erroris. Maximi igitur intereſt, ut cura ægrorum hoc in ſtadio exactiſſima tradatur.

§. II. Præprimis hîc conſiderandus aër

eſt, cujus primo in ſtatu verbo memor; curatiorem expoſitionem nunc dabo. Annus agitur XXI quo *Viennæ* verbis, ſcriptis, numeroſiſſimiſque demonſtrationibus, aëris cùm temperati, tùm mutati, neceſſitatem præſtantiamque propugnaverim; atque *Hippocratis*, *Celſi*, *Sydenhami*, *Boerhaavii*, *Boilei*, *Haleſii*, *Sgraveſandi*, ac *Muſchembroeckii*, præceptorum de aëre veritatem atque excellentiam demonſtraverim. Vid. *Rat. Med. Tom. XIII, Cap. I.* Ex quibus omnibus ſequentes canones ſpontè ſequuntur.

CANON PRIMUS. Ægrotantis conclave, ut *Celſi* verbis utar, ſpatioſum ſit, ubi ſcilicet ſeligi tale commodè poſſit; ſin autem minus; ſi eumdem, pluresve cum illo, anguſtiore tigurio decumbere jubet egeſtas, locorumve penuria, quid tunc agendum ſit, ſequentes canones dabunt. Sique ad aquilonem cubiculum, æſtate potiſſimùm, ſpectet, quò a pleno jubare ſolis minùs caleſcat rarefiatque aër, eò aptius idem erit. Porrò locus, in quo ſita domus eſt, aëre ſereno fruatur; ſin minùs, alia eligenda habitatio eſt illis qui potis ſunt.

Ex hiſce principiis conſequitur 1° majora noſocomia, quorum atmoſphæram exhalationes junctorum ægrotantium in-

quinant, aëremque, qualiſcumque curantia adhibeatur, nunquam purum eſſe ſinunt, poſtponenda eſſe, idque cum maximè variolarum popularium tempore. Nonne demonſtrata res eſt minores proportione mortes, peſtilenti tempore, privatas ædes, quam noſocomia habere? Ipſumque hunc calculum in ordinatiſſimis etiam noſocomiis juſtum deprehenſum eſſe? Vid. *Rat. Med. Tom. XIV, Part. II.* & *Rat. Med. cont. Tom. I, Part. II.*

Ex iiſdem principiis ſequitur 2° minùs benè conſuli ægris quandò privatis in ædibus, eodemque in cubiculo, bini, terni, pluresve locantur. Mutuarum exhalationum venenum imbibendo, inſpirandoque & abſorbendo, ægriùs multò quam ſi ſeparati eſſent, ſe habent.

Regeret fortè quis horum, qui aſſiſtere plures ægros debent, commodo præſtare, ut junctos illos habeant. Aſt commoda hæc minùs conſiderantur, dùm de ſalute ægrorum res eſt. Extremam egeſtatem hîc præterimus, in quâ habere locum hæc ſollicitudo non poteſt: ſupponimus autem quibus ſuppetunt ædes ſpatioſiores, etiam ſuppetere numeroſius famulitium, cognatorumque plebem, qui remotis a ſe mutuò ægris aptè miniſtrent: inevitabile autem ſi fuerit ægros complures in eodem cubi-

culo locare, eorum ſaltem lecti a ſe mutuò, quoad ejus fieri poſſit, ſejungantur, quò mutuis vaporibus minùs inficiantur.

CANON II. Indumenta quibus eousque indutus fuerat æger, ipſumque induſium, ab ipſo initio morbi exuantur, ne hæc vel miaſmate, vel propriis exhalationibus, ſordibuſque inquinata inficiant atmoſphæram. Quæ induuntur verò, & ſicca ſint, & nitida, & tepida, crebròque mutentur, ſi ſordeſcant.

Improbat hic canon præjudicium vulgi, ipſiuſque medicæ gentis, hoc tranſpirabilem materiem repellere, hoc papularum expulſionem, maturationemque præpedire cauſantis. Si novum induſium tepidum ſit, ſi eodem tempore obturatæ feneſtræ oſtiaque ſint, ſi clauſæ cortinæ lecti, ſi maturetur opus, protinùſque ſe recundat ſub ſtragulo æger, nihil ſubeſſe ejus quod metuitur periculi poteſt, ut latiùs *Rat. Med. Tomo XIII*, *Cap. I.* oſtendi.

CANON III. Tenues quibus induantur ægri veſtes ſint, tenuia quibus tegantur ſtragula. Exulent ſtragula plumoſa Germanorum. Profectò neque acutis in morbis, neque in variolis, morbillis, ſcarlatinis, pejor unquam excogitata methodus fuit, quam ea, heu nimium! vitæ

mortalium insidiosa prædatrix, quæ intempestivo crudorum motu immaturos promoveat eliciatque sudores, sicque humores eo liquido privet, quo lege inviolabili indigebat ad coquendas cruditates. *Rationis Med. laudato mox loco* evictum fuit, & vestitum ægrorum & operimentum in id apta esse oportere, ut frigus arceatur, cutisque naturali tepore facilem præbeat coctæ materiæ morbi egressum.

Canon IV. Cubiculi ostium pateat, quo interno aëri liberum cum externo commercium sit; sique serenior tempestas faveat, fenestra pandeat clausis cortinis lecti, ut aër vetus expelli, inferri novus possit. Hoc si paucorum minutorum spatio aliquoties in die repetatur sollicitè, tunc neque diu, neque multùm, ab assistentium invisentiumque exhalationibus inquinata atmosphæra ægrotantis erit. Atque sic in tempestate calidiore; in frigidiore verò, quo tempore mutes indusia ægris, vel camini, vel hypocausis igne camera calefiat, aut saltem prunis in ignitabulo ardentibus, ligno juniperino tectis, tepefiat locus.

Hoc casu excepto, nihil perniciosius est hypocausibus in cubili ægrotantium diu accensis noctuque, licèt homicidam esse se, si hæc neglexerit, *Germania* cre-

dat. Exhalationibus ægri, aſſiſtentium atque inviſentium amicorum, ſæpè nimium incaleſcentem aëra, caminorum hypocauſtorumque ignes, reddunt nocentem ægris: ſuntque in eo nocentiora hypocauſta caminis, quod calidior ægri atmoſphæra omnibus circumquaque clauſis, nihil mutetur, caminus autem cum externo aëre communicans, aliquid expellat interni aëris, externique admittat; ut, cœteris paribus, minùs a camino quam ab hypocauſi conclave caleat.

Inculcari autem nunquam id ſatis poteſt quod in cubiculo ægrorum & calore aër peccet, & ſtagnatione; quâ utrâque qualitate hominis etiam ſani, ſed moram trahentis, reſpirationem lædit; quemadmodum illi, qui aliquantiſper ibidem morantur, experiuntur. Hæc aëris cum calore ſtagnantis nocumenta per phyſicorum ſummorum experimenta in animalibus, quin & in hominibus capta, *Libro ac capite mox laudato* demonſtravi.

Ne autem de requiſiti apud ægros tales caloris gradu majore minoreve diſceptetur, bonum thermometron inibi ſuſpendatur: ſi *Fahrenheitianum*, calorem inter 60 & 63 gradum notet; *Reaumurianum* verò, inter 12$\frac{1}{2}$ ac 14 gradum ſignet, laudabilis ultrò citròque noxius gradus

erit. Porrò hunc caloris gradum in variolis, morbisque acutis, de industriâ hinc laudo, ne perniciosa hujus urbis thermometra noceant ægris, quæ ægrotantium calorem in *Fahrenheitiano* thermometro ad gradum 70, in *Reaumuriano* ad 17 perperam notant.

An in variolis, an in variolarum quolibet statu, aëre etiam libero frui ægroti possunt? Idque sic, ut ad fenestras patentes sedere, in aliud cubiculum se conferre, per spatiosas divertere ædes, imò in hortum, aulamve, tutò conferre se possent? Horrent ad hanc quæstionem quos vulgi præjudicia tenent, ac fortè proponi a medico indignantur. Supponens bono animo errantes illos, adeòque ut oculos ad veritatis demonstrationem aperiant sincerè paratos, annuendo respondebo. Nunquid in mediâ suâ præoccupatione nobiscum non viderunt, quam feliciter rusticorum, plebisque infimi infantes, ac pueri, hoc morbo defungantur, qui toti tecti papularum crustâ, in prata ruunt, colludunt, multâque perferunt cum alacritate morbum? Ignorantne cum suis prominulis pustulis inoculatos carpento ad amicos vehi, & cum illis confabulando, jocando, ludendo, tempus suaviter fallere? Necdùm legerunt in monumentis,

omni ſigillo veritatis munitis, quod homines a variolis naturalibus morti propinqui viſi, hoc corporis per ruralem aëra trajectu, mortis erepti periculo fuerint? Dabo recens ejuſmodi exemplum in ſequentibus. Opponunt, ſcio, etiam horum per aëra tranſvectorum quoſdam brevì periiſſe, nec diffiteor. Sed voſne, amabo! ejuſmodi compertam methodum habetis, quæ ſanet ex æquo cunctos? & maximè dùm mors cæterùm præ foribus adſtare videtur? Ergòne hanc methodum, vel ob id quod fallat aliquandò, repudiabitis, & veſtram, mortem in plurimis haud averruncantem, mordicùs tuebimini? Judices æquiores ſimus! mortis mutilationiſque frequentiam in totâ vulgari methodo, earumque in methodo inoculatoriâ raritatem contuiti, in inoculatorum methodum manibus pedibuſque eamus.

§. III. Atque hæc de aëre. Si hæc ita ſe habent, ſpontè conſequitur id, ut æger neque perpetuò lecto addicendus ſit, neque ab animi corporiſque motu omninò cohibendus. Modus agendi autore præjudicio genitus, hoſce ægros ſemper & lecto addictos, & ſtragulis ſepultos, & luce amœnâ privos, & alloquio amicorum, cum iiſdemque colloquio, quoad ejus fieri poſſit, remotos tenet. Inte-

gram alteram, tertiamve ſeptimanam in hoc carcere tranſigunt, triſtes, puſillanimes, moroſi, eâque formidine perculſi ne, quâ fortè nimiùm delectari ſolebant, amœnitatem, voluptatemque vitæ, deſerere tandem inexorabile jubeat morbi fatum. Itaque omnia in mœrores illorum augendos, ceu conjurata, conſpirant, vires corporis ſternunt, animique vigorem. Experientia dudùm hoc evicit, evincitque quotidiè; verùm cùm inveteratum præjudicium necdum emendare viſa ſit, abs re non erit hanc obſervationem palpabiliorem reddere.

Hominem ſanum duarum triumve hebdomadum ſpatio ſic lecto includas, ut ex eodem nunquam educatur; diurnâ eum luce, nocturnâque prives, aëre & calente, & ſtagnante, & propriis aſſiſtentiumque exhalationibus venenato eidem pectora angas, diſſolvas in ſudores, &, tenui carnium jure in unicum nutrimentum conceſſo, in extremos conjicias languores; nonne hunc hominem in vitæ periculum de induſtriâ conjeceris? Variolis impetitus homo morbum patitur, qui ſi benè tractetur, rariùs; ſi malè, frequentiùs in mortem ducit: hunc tu eâdem ratione gubernas, quâ mox vidimus vel valentem hominem in vitæ diſ-

crimen conjici oportere. Igiturne miraris tot varioloſos mori, quos a ſolis variolis periculosè decumbentes, eâ lege tractas, quâ vel ſaniſſimum hominem poſſes occidere? Cum hoſte ſanè te, cum hoſte morbo dimicandum cùm ſit, non eſt omninò quod a variolis ſpontaneis plurimos miremur mori: miraremur mori pauciores: imò potiùs miraremur non mori multò numeroſiores, niſi eventu ſciremus multos eſſe tam herculei roboris, ut citra ingens detrimentum adverſa vitæ ſuperarent, & ægris multis tam benignas variolas eſſe, ut quoque pravam methodum ſalvâ vitâ ſæpè tolerarent.

Apprimè hîc *Hippocrates Libro de Arte* de ejuſmodi medicis verba faciens: » Quare medicorum, inquit, plerique » ſimiles mihi videntur eſſe τοῖσι κακοῖσι » κυβερνήταις, malis navium gubernatori» bus; ϗ γὰρ ἐκεῖνοι, ὅταν ἐν γαλήνῃ κυ» βερνῶντες ἁμαρτάνωσιν, ἐ καταφανέες ἐσὶν: » ſiquidem dum tranquillo in mari in gu» bernandâ navi peccaverint, nemo eos » pecaſſe novit: ὅταν δε αὐτὺς κατασχῃ » ἀνεμὸς τε μένας, ϗ χειμὼν, φανερῶς ἤδη » πᾶσιν ἀντρώποισι δὶ ἀγνωσίην, ϗ ἁμαρ» τίην δῆλοί εἰσὶν, ἀπολέσαντες τὴν ναῦν. Si » verò eoſdem vel vehemens ventus vel » tempeſtas oppreſſerit, jam navim per-

» dentes, manifestò & ignorantes, & er-
» rantes esse hominibus apparent. »

Profectò ad inoculationem complures meritò trahit multorum inoculatorum facilis ægritudinis tolerantia, rarior in eâdem molestia, amœna animi occupatio: omnia hæc commoda si illis, quos naturalis morbus comprehenderit, conciliaverimus, tunc ii, qui necdum morbum passi sunt, eumdem a naturâ longè tranquilliores expectabunt; nosque abjectâ methodo, suâ severitate non minùs noxia quam odiosa, morbum faciliùs tutiùsque curantes, summi nostri dictatoris præceptum [saluberrimum exequemur, *Lib. Epid. I, mox in exordio:* » ἀσκεῖν περί τα
» νεσήματα δύο: Ωφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν.
» Curatissima opera danda in morbis circa
» duo erit; primum, ut ægro feras opem;
» alterum, ne quod inferas illi damnum. »

Opponi equidem nobis posset, quibus insitus morbus fuerit, haud æquè placidè omnes eum ferre; esse qui ægrotent graviſſimè, esse quibus motus per cubiculum, per ædes, per urbes & prata impossibilis; idem prorsùs in multis eorum observari, quos variolæ spontaneæ invaserint: imò horum plerosque adeò esse debiles, ut lecto exemti humi conciderent, ut vel in lecto caput attolentes vertigine

corriperentur, & ut unâ, alterâ, pluribusve septimanis nunquam mutato lecto decumbere debeant, nec nisi notabiliore tempore a devicto morbo elapso pristinis viribus restituantur.

Ad hanc objectionem respondeo 1°. In variolis inoculatis æquè quam in spontaneis, molestum aliquandò violentumque morbum esse novimus: sed novimus quoque, si qua cura salutaris sit, hanc illam esse, quæ quam proximè, & quantùm ægri vires concedant, ad descriptam priùs curam accedat. Ergò in rebus adversis variolarum spontè invadentium cura quam proxima huic esto.

Respondeo 2°. In insitis variolis fatemur gravem non nunquam morbum esse, & aut letiferum, aut mutilantem; nihilominùs adeò rarò, ut vix trucidet mutiletve quinquagesimum. Calculum ineant communis methodi patroni suarum a spontaneis variolis sive mortuorum, sive mutilatorum; eumque cum inoculatorum calculo conferentes, erubescant. Ita ut ipsa hæc illorum objectio insitoriam methodum commendet.

Respondeo 3°. Debilitas ægrorum cùm in variolis, tùm in cæteris acutis morbis, modica tantùm observatur, quandò ab ipso morbi principio æger totâ die lectum

non incolat, ſed ſæpiùs ex illo eximatur, ac pauxillum obambulet per conclave. Hoc in morbis acutis communibus obſervarunt toties mei auditores, videruntque centies ægros noſtros, a principio morbi ſuſceptos, ſemiægros duntaxat eſſe, ac per univerſum decurſum morbi diutiùs velle quam par eſt è lecto degere, nonnihilque per conclave gradi; longè verò minùs præſtare id illos poſſe, quos pluribus diebus lecto alibi commiſſos, nos demùm ſuſcipimus. Verum equidem eſt pluribus eorum a principio tantam adeſſe capitis, vel gravitatem, vel dolorem, ut erigentes ſe vertigine corripiantur; at verò emendat hanc diſpoſitionem cùm topica morbi, tùm univerſalis cura, tùm maximè prudens capitis repetitio motus. Qui æger bis, ter in lecto erigendo ſe vertiginoſus fiebat, quartâ quintâve vice citrà vertiginem erit ſe: qui minuti ſpatio erectus in lecto etiam dorſo ſuffultus, citra vertiginem, citraque animi defectum vix ſedere valebat, exercitio repetito per horæ quadrantem ſedet, paulatìmque diutiùs. Lecto eximuntur omnes noſtri ægri acuti bis die, hyeme æquè quam æſtate, ſic quidem, ut commodâ in ſede locentur, donec mundatus lectus refectuſque fuerit; pauxillatìm diutiùs; ac tandem, licèt

necdùm curatâ per omnia febre, transigant extrà lectum potiorem diei partem. Quos verò ad hoc debiliores esse credimus, hos, lecto ad lectum admoto, ex proprio lecto in alium transferimus, aliam in partem ducimus, ut commodè proprius refici lectus possit. Efficit porrò blandus ille motus, ut brevi sedere in sede commodâ, ac diutiùs in eâdem morari possint. Incedere sic paulatim discunt, ut vel adhuc crudâ febre, vel coctâ, vel crisin seu moliente, seu continuante, sedeant ægri nostri, confabulentur invicem, ac nonnihil ambulare per conclavia possint. Sic ratio capitur, cur ægrorum nostrorum plurimi intra septimanam a factâ crisi elapsam, vires sibi sufficientes experiantur, proprios lares repetundi.

Porrò hanc nosocomii nostri praxin laudarunt unà cum discipulis meis extranei medici multi, qui antequam in suâ quique patriâ ad praxin se accingerent, priùs, laudabili utique more, universitates nonnullas, hasque inter & nostram invisentes, meas ad lectos ægrorum lectiones frequentarunt. Sin autem ægrorum quisquam hinc indè fatis cederet, in anatome publicâ, quam mortuorum singulorum instituo, mortem passim, aut antiquo cuipiam vitio, aut formidandis præte-

præteritorum morborum reliquiis, vel notabili in morborum principio neglectui, causam imputandam mortis fuisse perceperunt.

Eamdem hanc methodum in variolis ab annis XL secutus, felicitatem curarum, si quis alius, ego gravisus sum; hanc, in nosocomio datâ variolarum opportunitate, felix colui; & si qua daretur in urbe atque suburbiis occasio, confirmavi. Haud ita pridem illust. archiatrorum comes, ac præses, Storck, egoque, ad juvenem vocati, qui maligno coufluentium variolarum genere laborans, jam a suppressâ salivatione extrema agere videbatur, lecti exemtione, aëris mutatione, liberi aëris ad fenestram usu, unà cum appositione vesicantium & antisepticorum exhibitione, ex evidentissimo mortis discrimine, DEO opitulante, eripuimus. Qui ea nunc legit, quæ viri in inoculatoriâ arte celebres, ut suæ methodi præstantiam demonstrarent, nobis scripto reliquerint de hominibus qui, papulis extantibus, ædibus in delirio profugi, & in aquam incidentes, pluribus horis verè mortui habiti fuêre, consuetisque submersorum auxiliis in vitam revocati, felicem habuerunt variolarum progressum; hominum qui cum extantibus

ubique variolis lecto ſurrexerint, domo effugerint, multam noctis partem per vias oberrarint, exoptatum nihilominùs habuerint variolarum finem; qui denique eorumdem obſervata de methodi inoculatoriæ in deſperatis variolis ſpontaneis admotæ fortunâ hiſce addiderit, ille convictus de ſalubritate hujus noſtri cônſilii plenè erit. *Vide Dimſdale, & Watſon in ſerie experim. ad opt. method. inoc. determ.*

Nihilominùs haud uno omnes pede calceandi ſunt. Tam in inſitis variolis, quam in ſpontaneis nonnunquam contingit, ut quiſquam ſit, qui, vel ob ſuam idioſyncraſiam, vel ob delicatiorem educationem, vel ob morborum præſentium præteritorumve relicta veſtigia, hæc ſingula minus æquè toleraret; quarum in gratiam judicioſa fiat legis generalis moderatio.

§. IV. In variolis crurum manuumque balnea valdoperè conducunt. Conſuluerat illa experientiâ plurimâ doctus *Sydenhamus*, confirmaverat, ut cuique notum eſt, *Boerhaavius*. Plures ſequuntur hoſce: nonnulli autem nuperorum ſcriptorum, inoculationis citra balnea felicitate capti, neutrales ad balnea ſunt. Jurene hi? Si his non indiget inoculatio, legitimane conſequentia eſt, neque ideò

variolas naturales indigere eiſdem? Docuit uſus in poſterioribus ſaltem balnea hæc prodeſſe. Imò uſus oſtendit balnea integri corporis modicè calida, toto tempore morbi, binaque in die, variolas feliciſſimè curaſſe, a tempore immemorabili, multorum fortè ſeculorum traditione, apud *montium Carpatiorum* incolas, teſte autopte *Fiſchero*, *de remedio ruſtico variolas per balneum*, &c. *curandi*, citra ullam ferè aliorum remediorum opem: cùm verò teneriores infantes in balneum immittere necdum auderent, autore *Fiſchero*, eamdem in illis experti ſunt curationis felicitatem.

At verò *Hoffmannus*, inquiunt, tanti in medicinâ nominis, ſitum corporis in hoc morbo erectum damnavit, qualis balneo crurum inſidentium eſſe ſitus ſolet, in *Syſt. rat. Med. Tom. IV.* Si aliàs hoc balneum utile quis judicans, a ſitu erecto damnum metueret, jacentis ægri propendentia de lecti crepidine crura in balneum locet. Et an duo duntaxat ægri, ex quibus vir egregius hoc concludit, ſufficiunt ut regula formetur univerſalis? Maximè ſi non ab erecto ſitu, verùm potius a morbi malignitate, hiſce ægris utriſque malè fuerit? Ut meritò hinc conficiamus reſiduum fortè *Hoffmanno* hunc

metum antiquæ opinionis præjudicatæ fuisse; residuum ex *Diemerbroeckii*, similiumque clarorum suo tempore virorum doctrinâ, quæ calidiorem methodum temporum iniquitate propugnabant. Sed transiêre hæc. Est nunc *post nubila Phœbus*.

Cur autem *Sydenhamus* ac *Boerhaavius* balnea crurum tantoperè commendarunt? Cùm didicissent eò periculosiorem esse morbum, quò densius papularum agmen vultum obsideret, experti sunt per hæc balnea materiem morbi disponi sic, ut parciùs caput, largiùs extremos obsideret artus. Negat quis hinc indè scriptor se unquam hunc halneorum effectum observasse: concedo facilè id illum haud observasse; an verò hinc consequitur, ut non observarint alii? Vel breviore, vel rariore balneo forsan usi sunt; vel in quosdam casus infortunatiores nobiscum inciderunt, ubi invitâ omni nostrâ sollicitudine, unica veluti crusta vultum contegeret omnem. Asseverare sanctè possum in tot variolantium centenis, ac millenis me, exceptis infortuniis memoratis, vultum, collum, pectusque minùs; dorsum, ventrem, femora, crura, pedesque multò densiùs obsitos vidisse, quandò a morbo inchoante per singulos ejusdem status,

bis die, horæque integræ ad singulam vicem spatio, crura, genua, pedesque, in altum balneum immergebantur. Quippe emollitio cutis, ac spatii cellularis ampliatio, disponunt sic hasce partes, ut longè abundantior materiæ infectæ portio locari in iisdem possit. Quod si simul manus ac brachia in latam pelvim calidâ plenam immitantur, & plus inibi deponitur morbosæ materiei, & in exoptatum tumorem crura brachiaque disponuntur.

Respondi sic his, qui successum a balneis ullum se vidisse negant: respondendum adhuc illis fòret, qui, an serio? nescio, chartam multam macularunt, ut ostenderent omni vel balneo vel humectatione partium, nihil esse perniciosius, nihil ad eruptionem maturationemque papularum adversius. Sed primò experimentis mox enarratis confunduntur; secundò, sat puto me hunc ingenii lusum experimentis è directo oppositis refutasse in *Rat. Med. cont. Parte I.*

Balneorum porrò materies, aut aqua sit, aut aqua cocta cum herbis mollibus, althæâ, malvâ, parietariâ, mercuriali, verbasco, &c. aut aqua cum tertiâ quartâve vaccini lactis parte mista. Balnei calidi hujus vapor totum corpus inferius

humectat, totumque ventrem. Imò quæ adeò necessaria sanguinis dilutio notabilis fit; ut aquæ balnei insignis imminutio manifestò docet.

§. V. Ab ipso morbi principio ad usque finem, summa cura habenda oculorum est, ne qua contingat illis læsio, quam hîc dolemus toties. Multa multi hîc laudant. Visa mihi numquam oculorum læsio fuit, quandò sub bonâ methodo oculi vigesies trigesiesve in die, aquâ & lacte subfrigidis molliter perluerentur, idque ab inchoamento ipso usque in completam curam.

§. VI. Victus per singula stadia morbi citra viscerum molestiam atque laborem nutriens sit, diluens, ac putredini adversus. Diluta jura carnium, cui pauperiores tartari cremorem, succum citrei ditiores admisceant; oryza, hordeum, triticum, acetosa, acetosella, endivia, lactuca, juri incoqui possunt. Lac cum aquâ mistum, lac ebutyratum, lactis serum, aqua hordei, aqua avenæ, cujus libris binis duæ unciæ addantur saparum aut sambuci, aut ribesiorum, aut mororum pomorumve, potui sic sint, ut quò plus, eò rectiùs: mensuræ duæ tresve potus nucthemero sumtæ facilem reddere morbum solent. Fructus horæi cocti, vel elixi

nutrimento dari possunt. An & pulli tenera caro? Concedunt inoculatorum nonnulli: cùm verò sufficiant recensiti cibi, & plus minusve lædere posset, prudentiæ erit eamdem negasse.

§. VII. Medicamentorum titulo pauca dentur. Auri sacra fames multa dare inoculandis, inoculatisque voluit, quæ inania esse candidorum virorum experimenta ostenderunt. Vid. Præfat. *Ill. Van Swieten ad tom. V.* In naturalibus variolis paucis est opus; siquidem veri medicamenti vicem explent ea, quæ alimentorum potulentorumque titulo paragraphus VI. commendabat. Si ad hæc addideris syrupos violarum, tunicæ florum, florum rhœados, baccarum, aut sambuci, aut ribesiorum, rubi idei, mòrorum, succi citrei, granatorum; si nitrum; quæ omnia potui vario supra descripto admisceas: si spiritum, aut salis, aut nitri, aut sulphuris per campanam, aut vitrioli, iisdem potibus conjunxeris; si re urgente corticem peruvianum ad manum habeas; vix aliis indigebis, nisi his de quibus jam agere jubet rerum ordo.

§. VIII. Dandane paregorica variolosis? Damnant ista, quibus eadem & calida, & proindè humorum augentia motum audiunt; quibus verò tumultus se-

dare, nimiosque compescere motus apparent, hi ea commendant vehementer.

Opium ob vim soporiferam extremo in gradu frigidum esse, ac coagulare humores spiritusque, prisca ætas censebat; quamvis quid amari, adeòque quid stimulantis haberet: nostrâ ætate sapientes viri, vera nostræ artis lumina, opium calidum esse, cùm ob eumdem amarum saporem, tùm ob observatos in hominibus brutisque effectus, audacter pronunciant. Amaritiem ingratam opium, fateor, habet: an verò talem habet, ut unicum ejusdem granum, idque sæpè plures divisum in doses, corpus calefaciundi, humores agitandi, febresque augendi, virtute polleat? Hanccine virtutem auderemus unico absinthii extracti, opio multò amarioris, grano, seriò adscribere? An agere sic opium decernemus, ut plus moveat suo amarore humida solidaque corporis animalis, quam eadem vi soporiferâ compesceret? Cur corticis peruviani amarities vim ejusdem non infringat febrifugam? Et si hic cortex ita fuget febrim, ut amarore, ne in calido quidem temperamento noceat, licèt pluribus unciis datus, quam opium granis; quo id titulo de opio statuemus? Sed, inquiunt, quod statuimus, hoc nos experimenta in brutis inque hominibus

docuerunt. Brutorum experimenta esse vera possunt, turpiter autem sæpè fallunt. Id aliâ occasione ostendimus. Brutorum natura alia a nostrâ est. De homine hîc sermo, non de bruto est. Undè experimentis, quæ calorem auxisse, majoremque cievisse in motum humores arguunt, ea opponere experimenta liceat, quæ jam *Rhasis* tempore in variolis, quæ potissimùm plus integro jam sæculo in morbis omnibus eam opii virtutem esse monstrarunt, ut si, debitis evacuationibus prægressis, impetu nimio humorum in functionibus, ac maximè vitalibus, dolores, anxietatesque suboriantur; si ob tumultum interioribus in corporis visceribus humorum, vasorumve constrictionem, variolæ aut prodire recusent, aut progressæ recedant, opium emendare priores, posteriores ad cutim propellere, *Sydenhamo*, *Mortono*, *Werlhofio*, *Freindio*, *Boerhaavio*, *Swietenio*, millies apparuerit: ut taceam adhuc multiplicia mea experimenta, in tot ægrorum centenis capta, quæ mihi demonstratissimam hanc reddidêre veritatem.

Igitur si uspiam opii, ac paregoricorum immensa laus est, est saltem in variolis. Dedi id æquè leviore in morbo, quam in graviore; æquè in levissimo,

quam in graviſſimo; idque a primâ eruptione ad exſiccationem uſque, bis nucthemero: experientiâ edoctus ſi ob morbi levitatem non daretur, graviora ſymptomata in morbo progreſſo prodirent, quæ dato a principio opio rariùs comparere ſolebant. Latiùs hæc explicui *Rat. Med. Parte II. Cap. III.* & *in Theſ. de Febr. div. Cap. de Variolis.* Variolæ itaque, ſi expectatæ non prodeant ferè, ab unc. I. vel II. ſyr. diacodii, ab unc. I. ſyr. pap. albi, ab opii grano, ſe prodere in apricum ſolent. Si inflammationis, ſuppurationiſque ſtatu ſubterfugiant, paregorico tali bis ter quaterve intra nucthemeri tempus repullulant. Si anxietudines, ſi peripneumoniam, ſi anginam minitentur, has unà cum memorandis poſtliminio auxiliis ſæpè mitigant & curant. Tandem quamvis contingat horum nihil, ad ſolum tamen ſomnum, qui ad facilem morbi cùm tolerantiam, tùm maturationem, vehementer facit, blandè conciliandum, ſummam habent paregorica laudem: ſic ut non niſi damno ingenti negentur varioloſis. Confido fore ut iterata millies experimenta, eaque capta a viris quorum notus ita candor eſt, obſervandi peritia ita demonſtrata, ita denique laudatus proximi amor, ut ſi in

observationum innumerabilitate vim opii in variolis noxiam deprehendissent, id & ætatem suam, & posteritatem monuissent, hîc omne dubium sublatura sint.

Profectò post editas clarorum, quos veneramur, virorum, diras adversus opium quærelas, medici quam plurimi, quibus veritas ac publica salus cordi sunt, multò in easdem attentiores, & an veritati inniterentur curiosiores, eò demùm pervenerunt, ut horum autorum bonam quidem intentionem laudarent, naturam verò cùm opii, tùm hominis, variolarumque conditionem tales esse deprehenderent, quales ante novorum placitorum editionem extiterant, perpetuòque extabunt.

§. IX. Clysmata in variolis multi sunt usus. Dudùm rediêre medici a suo errore detestabili, quo cùm vitæ pellendus esset ad cutim impetus omnis, eò rectiùs fore arbitrabantur, quò diuturniore tempore clausa alvus esset: ita ut si toto tempore morbi non prodiret, nunquam moveretur. Ipse *Mortonus*, perversæ hujus opinionis fautor, coactus a suo candore fuit, ut quæ indè damna contingerent, cum publico communicaret. Rectiùs hîc *Sydenhamus*, *Hoffmannus*, *Boerhaavius*, *Swietenius*, *Violantius*. Variolosorum nu-

merosissimorum meorum, quorum nemo fuit, cui aut spontanea, aut provocata quotidiè alvus non fluxerit, plerique mori debuissent, si opinio hæc vera fuisset. Equidem ne alvus fiat nimia, prohibere paregorica solent; sin verò paulò copiosior, frequentiorve fluat, non nocet passim, nec quid mali portendit, nisi qualis prodire conclamatis in rebus solet gangrænosa. Et si casu rariore nocere abundentiâ frequentiâque videretur, clysmate parato ex unc. VI. cocti lactis, & unico grano opii confecto, facilè compesceretur. Cæterùm ad alvum solvendam clysmata paramus ex aquâ, lacte non cocto, salisque tantillo; aut ex aquâ hordei cum mellis atque salis pauxillo. Si autem ob intestinorum siccitatem ægrè moveatur venter, vel olei cujuslibet unciæ tres, aut & mannæ totidem admiscentur.

§. X. In variolis necessaria deprehenditur venæ sectio esse. Vetus in peste, & in singulis acutis cutis morbis, præjudicium hanc a variolis exulare jussit, vim humorum a cute divertentem ratum. Attamen & in peste, & in variolis, morbillis, scarlatinis, erysipelatosisque morbis, utilissimam eamdem necessariamque esse, dudùm est demonstratum, quemadmodùm retuli *Rat. Med. Parte XIV.*

Sect. II. & Rat. Med. cont. Tom. I. Cap. de Febr. malign.

Multi ſanè laboris fuit in curam variolarum miſſionem ſanguinis inferre. Ex præjudiciis, quibus mortales omnes, heu nimium! laboramus, non niſi pedetentim, atque gradatim, emergimus. Ita medici, ipsâ naturâ ſanguinem in ſalutem fundente, reſipiſcentes, venam quidem ſecare varioloſis cœperunt, at verò & ſuſpensâ manu, & nunquam poſt eruptionem. Advertentes deindè in ipſo pleno ſtadio, ſive inflammationis, ſive ſuppurationis, ſive exſiccationis, etiam rebus deſperatis, ſpontaneâ narium, uteri, podiciſque hæmorrhagiâ, morbum verti in ſalutem, præjudiciis expurgarunt ſeſe, venamque in ſingulo ſtatu variolarum ſecuerunt audacter. Junior medicus vidi adhuc meticuloſos veteranos, fluente in hoc morbo menſtruo tempeſtivo: expertiores ſenſim facti, metuerunt menſes duntaxat intempeſtivos: tandem æquè de intempeſtivis, quam de tempeſtivis gaudere cœpimus.

Ad ſanguinis miſſionem referuntur cucurbitæ ſcarificatæ ad dorſum, ad ſcapulas, ad toroſas narium, femorum, ſurarumque partes. Scarificatas haſce cucurbitulas in delirio ad puſtularum erup-

tionem oborto, atque cum intenſo calore, cum anxietate, cum ſubſultibus tendinum perſeverante, *Baglivius* deprehendit adeò ſalutares, » ut momento ferè, factâ quaſi » furentis ſanguinis revulſione, omnia » prædicta ſymptomata velut in ovo » ſuffocarentur, & paulò poſt feliciter » erumperent variolæ, ut ſæpiùs vidi- » mus. » *Bagl. Prax. Med. L. I.* Videantur hîc obſervata, quæ ex totâ Bibliothecâ medicâ in hanc rem colligi *Rat. Med. Parte XIV. Sect. II. Cap. VII.* Uſui hæ cucurbitæ tunc poterunt præprimis eſſe, quandò vel metus eſt ne homo benè ferat venæ ſectionem; vel quandò, ex iis rarioribus eſt, quibus vena tundi tutò non poteſt; vel quandò aut æger, aut familia concedere venæ ſectionem præfractè negat. Scarificationem paſſim minùs metuunt, quam venæ tunſionem. Et cùm æquè ſanguinem arterioſum evacuet, quam venoſum, reperitur venæ ſectione aliquoties longè præſtantior.

Referendæ & huc ad tempora admotæ hirudines, quæ quanti ſæpè auxilii ſint in ipsâ phrenitide, paraphroſyne, &c. omnibus eſt notum. Huc tandem pertinet, ut ſupra jam notatum fuit, menſium, hæmorrhoidum, nariumque fluxus; qui quanti ſit uſus, & quid medicos docuerit mox advertimus.

§. XI. Epispastica & vesicantia singularem commendationem merentur. Epispastica ad pedes admota, idem præstant quod balnea crurum, si singulum post balneum pedibus admoveantur detersis. Nonnulli emplastro meliloti plantam totam obtegunt, alii phœnigmis dictis, aut sinapismis. Agunt benè epispastica formata sic. ℞. Fermenti panis acidi libram I. Herbæ rutæ M. I. Salis comm. & sinapi farinæ ana unc. sem. Aceti fortis q. s. ut indè massa formetur, & ex eadem conficiantur epispastica, digitum crassa, longitudine pedis, quæ primùm intimè calefiant, antequam adplicentur. Nonnunquam & pedes integri ac poplites sic obvolvuntur. Vesicantia eamdem ob causam suris, femoribus, humeris ac nuchæ imponuntur; verùm ingentem effectum præstant in nimio torpore naturæ, quandò pustulæ vix pure replentur, quandò pustulæ plenæ collabuntur, quandò salivatio citra manûum tumorem deficiens, anxietates ingentes ac dolores sæpè gignit, quandò caput intolerabili dolore afficitur, delirium incipit, summa virium observatur prostratio. *Meadius* vesicantium laudem ob id, & meritò quidem, extollebat, quod pure copioso manantia, corporis interiores liberarent ab eo partes. Expe-

rientia frequens hoc confirmat. Sæpiùs moribundum ferè hominem in vitam revocarunt: in desperatis casibus ad mox dicta loca, imò ad ipsum rasum caput admoventur, sive meraca, sive cum quâdam portione emplastri meliloti commista.

Referuntur huc mitiora epithemata quæ in capitis intenso dolore, ac inchoante delirio, capiti salubriter circumponuntur. Parantur ex placentis a destillatione aquæ rosarum residuis, & aceto irroratis; ex aquâ rosarum, aquâ nymphææ, aceto, vel sambuci, vel rosarum, una mistis, & vel lenteis, vel micâ panis imbibitis.

CAPUT IV.

Status Variolarum tertius, dictus suppuratorius.

§. I. Suppuratio variolarum ad diem 8. a cœpto morbo præter propter incipit, & ad diem 10. vel 11. perficitur in *discretis*; paulò tardiùs in *cohærentibus*, ad 14. diem in *confluentibus*; imò nonnonnunquam sic in discretis malignis. Hoc itaque tempore incipit, perficiturque suppuratio pustularum, cujus sub

finem in cujusque pustulæ centro transsudat materies, quæ hîc planè indurescit.

Hoc autem in stadio observari salivatio solet in plerisque confluentium, in nonnullis cohærentium, & haud perraro exemplo in discretis. Incerta copia est ejus, quæ prodit salivando, materies: his unciarum trium, quatuorve, illis libræ dimidiæ, aliis libræ, imò & multo pluris, spatio 24. hor. In medio calore interno externoque corporis sistitur quandoque, excitat angores suffocantes, colli tumores, anginas, peripneumonias, phrenitides, diabetem enormem, ac colliquantem, haud citra intestinorum phlogosin, diarrhœam.

Affectus qui sic est, in summo versatur periculo vitæ. Rem restituit sæpè aër liber, ac paregorici frequens usus, ut constitit supra. Cataplasma emolliens ad externum collum; gargarismus, crebraque in fauces injectio liquoris ex aquâ & lacte compositi, cui syrupus violarum, mororum, ribesiorum, rubi idei, &c. sit adjunctus; varias ad corporis plagas admota vesicantia; audax, eaque repetita sanguinis missio: hæc porrò ultima est instituenda illicò, vehementer, si symptomata urgent, vesicantium reliquorumque sit posteà usus.

§. II. Sed præterea in hoc ſtatu contingit, ut, vel ſuppreſsâ ſalivatione, vel promotâ, & nonnunquam æquè in diſcretis, quam in confluentibus, imò aliquandò papulis benè turgidis, ſuboriantur aut inflammatorii, aut ſuppuratorii, aut ſpaſmodici morbi in encephalo, in thorace, in abdomine, veri prodromi mortis, niſi extemplò facta venæ ſectio, veſicantia dein, balnea ac paregorica hanc tempeſtatem componant ſic, ut ſolutâ inflammatione, ſpaſmove, materies quæ ſive ex puſtulis, ſive ex panniculo adipoſo, converſa ad viſcera fuerat, ad corporis ſuperficiem redeat. De hâc autem re brevì latiùs. Auxilia mox memorata mirum quam feliciter, quamque properè ſæpè has tollant ſupervenientes calamitates, maximè ſi his jungatur aër liber, ac temperatus.

CAPUT. V.

De quarto Variolarum ſtatu, qui exſiccationis vocatur.

§. I. In hoc ſtatu æger magnam quidem partem periculi ſuperavit, haud ita tamen in vado eſt, quin a pure intùs latitante ea

ſubnaſci ſymptomata poſſint, quæ *ſtadii tertii* calamitatem facere mox viſa ſunt: ìdque potiſſimùm tunc, quandò, ſalivatione deficiente, neque increſcit manuum pedumque tumor, neque aliquantiſper ſaltem perſeverat; qui tumor, ut mox vidimus, locat & recondit varioloſæ materiæ reliquias, ut eaſdem attenuet, & per necdum planè ſiccas papulas paulatim expellat; imò & per ſiccas planè puſtulas, quæ decubitu, quæ ſcalptu, quæ perſciſſione apertæ, multò ſæpè pure, diuque manant.

Igitur in quarto hoc ſtadio, ſi enarratis de cauſis vita periclitetur, liber aër, venæ ſectio, veſicantia, enemata, & antiphlogiſtica purgantia indicantur; nec non aut aqua, aut molliens decoctum, cum ſpiritu vitrioli, ſalis, nitri, ſulphuris per campanam, & horæorum fructuum ſapis.

§. II. Verbo monui quid de aperturâ puſtularum; latiùs porrò hæc explicanda eſt. Conſtitit de puſtulâ tranſciſsâ pus omne evacuari, puſtulam intrà paucas horas novo pure ſub renatâ cruſtâ turgere, hoc evacuato, pure novo ſcatere ad tertiam, ad quartam, quintamve vicem; idem phænomenon apparere, ſi ter, quater in die, 200, 300 puſtulæ ordine perſcindantur. Undè evidens fit ex panniculo

adipoſo novum vice quâque pus ad apertam puſtulam vacuamque derivari; quâ derivatione non factâ, pus in texturâ cellulosâ atque adiposâ hæreat neceſſe eſt; donec, aut ſpontaneâ, aut artificiosâ purgatione alvi, aliiſve corporis effluviis eliminetur. Porrò quandiu expulſum de ſuo domicilio non eſt, reſorberi infortunatè intra poteſt, ſicque, ut exempla docent, vel gignere articulorum morbos, undè haud perrarò, ſeu temporaria, ſeu perpetua claudicatio, &c. ſive pulmonis infartum, undè inflammatio, phthiſis, dyſpnœa, aſthma; ſive ad caput, undè paraphroſyne, cephalea, hemicrania, cophoſis, amauroſis, cataracta, hypopya varia, &c. Quibus maturè perpenſis, quis non intelligit ſalutare homini auxilium præberi, cui per puſtulas ſæpiùs apertas ex cellulosâ texturâ pus evacuari omne poſſit? Hæc ratio cur *Rat. Med. Parte II. Cap. III.* hanc aperturam cùm meâ experientiâ, tùm experientiâ atque autoritate variorum medicorum ſtrenuè propugnarim. Undè, etſi vix ab inoculatoribus commendetur, in ſpontaneis variolis commendanda ſaltem eſt. An non illi, ſi in abundantioribus inſitionis puſtulis aperirent quoque illas, minores fortè adhuc, aut mortes haberent, aut mutilationes?

Quid, quod ſic & conſulitur venuſtati? ſi puſtulæ aut junctim locatæ ſint, aut veſicularum formâ vultum contegant omnem, neque aperiantur, diutiùs incluſum pus acrius redditur, acritudine cutim rodit, atque ſæpè per omnem vitam defœdat. Sin autem educitur, & quotieſcunque renatum fuerit abſtergetur, contrahere acritatem non poteſt, nec morâ cutim deturpare, tantòque minùs, quò aperta papula ad uſque ejuſdem fundum aquâ & lacte tepentibus crebriùs abſtergatur.

Et cùm de venuſtate tuendâ ſermo fiat, laudanda profectò ad eamdem veterum, ac ipſius *Sydenhami*, prudentia eſt, ad primam mox cutis exſiccationem oleo amygdalino illam obliniendi. Ea quippe eſt varioloſi puris natura, ut dùm ſibi viam in centro puſtulæ pandit, indureſcat protinùs, carceremque obturet ſuum. Moratum ibidem cutim ſubjectam rodit. Emollitio laborioſa tàm cum oleo, quàm cum hydrogalo, & puſtulæ ſingulæ & univerſi varioloſi tegminis, occaſionem tollit roſionis, vixque deturpata poſtmodùm cerni cutis ſolet. Hæc autem apertura non pungendo, ſed ſcindendo facienda eſt, cùm alioqui vix effluat materies.

§. III. Ad quarti ſtadii finem alvi purgatio neceſſaria eſt. Puris mora ac copia,

jam demonstrata, educitur sic, neve transmigratione sinistrâ noceat, prohibetur. Aquæ dictæ angelicæ, aut aquæ lax. Vienn. unciæ III, IV, V, & si moveat vix, salis aut polychresti, aut Segnetti, aut Sedlicensis, drachmis II, III, IV acuatæ, persimilesve aliæ compositiones, conferunt. Tuta omninò est alterno, tertiove die, per 3, 4, 5 vices purgantis repetitio, ne quid residuum pravitatis in corpore maneat.

§. IV. Nihil verò plus venæ sectione ad omnem variolosam materiem eliminandam facit. Purgatio repetita, ut dixi, hanc sæpè exturbat de corpore totam, verùm non raró deprehenditur aliquid reliquisse. Id ne post variolas prægressas novos generet morbos, omnium certissimè, tutissimèque præveniunt venæ sectiones. Experientiâ certissimâ fretus hoc assevero. Non sine magnâ animi voluptate recordor collegii practici *Hagæ-Batavi*, cujus 14 annorum spatio socius fui, collegii, inquam, quod instituebamus quinque tunc *Hagæ-Batavorum* medici, *Abrahamus Westerhoff*, celeberrimus ibidem practicus, urbis senator, atque poliater; *Cornelius Henricus Velse*, cels. & reg. principibus *Arausianensibus* a consiliis, & archiater, nec non poliater, & anatomes ibidem

olim professor; *Wilhelmus Ouwens*, dignissimus in universitate Franequerâ professor, amplissimusque urbis consul; *Paulus s'Graauwen*, in Harderovicenâ universitate æstimatissimus medicinæ professor; egoque. Singulo jovis die cùm de præcipuis praxeos mutuæ nostræ difficultatibus acturi conveniremus; interque alia de variolarum sequelis solliciti, efficaciora adversùs eadem præsidia quæreremus; contigit tandem ut cùm aliquoties sanguinem in incommodis, variolas presso pede sequentibus, pblogisticotaton deprehendissemus, id tandem consilio unanimi concluserimus, ut singulis post variolas exsiccatas sanguinem detraheremus, & si lardo crassiore tegeretur, iteratò mitteremus, ne qua variolosa materies in corpore relicta morbum ultrà generaret. Fari vix queo, quantoperè hujus instituti gavisi effectus simus, sanctèque testor, postliminio me nunquam vel minimum observasse a curatis variolis infortunium; nullos, adeò hîc frequentes, molestosque furunculos, nullum hypopyon, nullas febres lentas, tusses, artûumque mutilationes.

CAPUT VI.

De commendatâ nobis curatione planè oppositâ illi, quæ hoc in opere tradita est, quandò in Variolis vires projectæ sunt, debilisque pulsus.

§. I. VARIOLÆ cum magnâ virium projectione, & cum debili pulsu, excitantem curam potiùs requirunt, quam evacuantem, ac proindè debilitantem. Vix scriptores invenias, qui, de variolis agentes, hoc non inculcent sedulò. Ne hisce numerosis recensendis tempus teram, instar omnium *Boerhaavius* sit, cujus epistolæ ad *Bassandum* partem, ex *Tomo V. Comm. Ill. Van Swieten*, *pag. 73*, hîc referam. Postquam curam inflammatoriam biga exemplorum illustrium *Bassando* probasset, » Interim monendum, inquit, accidere » quandoquè in hoc morbo, ut venenum » variolarum plus noceat, spiritus proji» ciendo penitùs, quam inflammando » corpus. Tum æstus haud adeò magnus, » pulsus creber, debilis prorsùs, deliria » levia, virium projectio, variolæ lentæ, » planæ, parvæ, depressæ, non assurgen-

» tes,

» tes, interstitia pustularum languida,
» pallida, certa mortis indicia: tum fœ-
» ces alvi solutæ, cadeveroso fœtore,
» colore fusco, debilitantes: delirium,
» vox clangosa. His casibus methodus dicta
» obest: morbus ex se lethalis. Tum rad.
» Contraj. dr. I. Serp. virg. dr. ß. Rutæ
» rec. unc. ß. infundantur cum aquæ still.
» rutæ lib. I. Vini Rhenani unc. VI.
» adde Sacchari dr. IV. Bibat unc. I omni
» horâ fervidè; superbibendo decoctum
» scorzoneræ, ut excitentur vires. Dein
» pro re natâ instituatur regimen. »

Ut hîc *Boerhaavius*, ita penè omnes, ut mox dixi, qui de variolis scripserunt. Non eas unicâ methodo tractarunt, sed inter temperatè & calidè tractandas distinxerunt; modo autem vario; sic ut ad genus calidè tractandarum multò plures referrent hi, alii plures ad genus oppositum: imò invenire multos est, qui omnes omninò variolas calidâ methodo tractandas esse docuerint. Universalem hi reddidêre calidam curam. Ita *Mortonus* erat, qui ob id se debere recedere a *Sydenhami* curâ scribebat, quod refrigerante hîc fermè ubique uteretur. An rectè *Mortonus*? Saltem *Freindius* ob id non laudavit illum. Sic enim hic *de purg. in 2 var. confl. stad. pag.* 24. » *Mortonus*
» totam rationem medendi ad hypothesim

» istam de spirituum nescio quo miasmate, » a semetipso confectam, ferè semper de» torquet. »

Ill. Van Swieten rem distinxit ut *Boerhaavius*; docens temperatam methodum in plerisque, calidam in aliquibus convenire. Videatur ejus *Comm. in* §. 1398, ubi hanc thesim multo sermone probaverat. » Monitum tamen fuit in praecedentibus, inquit, quandoquè non adesse in » statu contagii febrem validam, nec ca» lorem intensum, & tamen ingens dis» crimen imminere; dùm nempè conta» gium non agit inflammando corpus, sed » vires vitales prosternit illicò. Peritus me» dicus fallaci hâc lenitatis specie non » decipitur, dum pulsum parvum, cele» rem, inaequalem, anxietatem perpe» tuam circa praecordia, frigusque extre» morum videt, & licèt reliqua omnia » appareant satis mitia, periculosum ad» modùm fore morbum praesagit. »

Et ad §. 1384. » Verum quandoquè » contingit, ut variolosum virus plus no» ceat vires vitales projiciendo; tum nullus » quidem periculosae inflammationis me» tus, nec caloris aucti nimis; aestus enim » vix ullus adest, imò potiùs frigescit cor» pus, pulsus debilis omninò, licèt simul » celer, fit, imò quandoquè praeter debi-

» litatem & parvitatem pulsûs nulla ob-
» ſervatur celeritas ; anxietas autem magna
» adeſt, & ſigna diſſolutionis putridæ
» humorum brevì ſequuntur, dum hæ-
» morrhagiæ enormes, dejectiones alvi
» liquidæ, fuſcæ, debilitantes, cadaveroſi
» fœtoris ſuccedunt, uti & maculæ li-
» vidæ, pluraque alia funeſta ſymptomata,
» quæ mortem præ foribus eſſe nunciant.
» Verſatiſſimi in hoc morbo curando me-
» dici ſuis obſervationibus hæc confirma-
» runt. »

Et *pag.* 1402, *Comm. ejuſd. Tom. V.*
» Interim non in omni caſu venæ ſectio-
» nem prodeſſe nemo dubitat : quandoquè
» enim in eodem hoc morbi ſtadio fatiſ-
» cunt vires vitales, anxietas quidem
» magna adeſt, ſed pulſus debilis & inæ-
» qualis, facies palleſcit, extrema frigido
» ſudore madent : facilè patet tunc non
» cogitandum eſſe de minuendo febris
» impetu, ſed omne molimen potiùs ad-
» hibendum eſſe, ut inſtaurentur vires vi-
» tales. Certè celebris *Huxham*, qui in
» priore caſu venæ ſectionem abſque morâ
» inſtituendam voluit, dum hæc ſympto-
» mata ſunt, vix nimis calida poſſe dari
» contendit. Numeroſa veſicatoria appli-
» canda ſuadet ; imò teſtatur ſe vidiſſe
» largam vini calidi copiam profuiſſe in-

» ſigniter. » Dabat *Illuſtr. Præſes*, idque *Boerhaavii* conſilio, tincturam croci in hoc ſtatu rerum, quæ & excitando prodeſt, & ſpaſmos, nervorumque tumultus vi opiatâ ſolvit.

Videantur nunc omnes autores qui de variolis ſcripsêre, *Sydenham*, *Morton*, *Lyſter*, *Mead*, *Freind*, *Lobb*, *Huxham*; deprehenduntur ſinguli hanc malignarum variolarum ſpeciem in ſingulo earum ſtadio agnoviſſe, luxiſſe, ac deſcripſiſſe; in eo tamen a ſe mutuò diſcrepantes, quod alii hanc malignitatem in plurimis varioloſorum, alii in paucioribus, alii denique in perpaucis præſentem animadverterint.

Quid ergo ſubeſt cauſæ, quod omnes hi ſcriptores hanc variolarum malignitatem, alii frequentiorem, rariorem alii nobis referant? Forſitan unus alterve frequentem illam deſcripſit, quod in pejore popularitate in frequentes admodùm ejuſmodi infortunatos inciderit caſus: verùm id ſuſpicari de aliis nequimus, qui ex multorum annorum obſervationibus in variolas commentati ſunt. Alia ergo ſubeſſe cauſa debet. Hanc ut capiamus, in graviſſimos praxeos caſus altè deſcendendum eſt. Ac pulſus in hâc malignitate primò examinandus eſt. Deſcribitur ille debilis, parvus, aliquandò inæqualis, &

aut celer, aut celeritate vix peccans, cum faciei pallore, extremorum frigore, frigidoque sudore. Hic, hic pulsus est, quem veluti omnibus conspicuum notis, singulis manifestum signis, certisque insignitum caracteribus, viri clari ut talem descripsêre, qui hujus letiferæ malignitatis index esset; eum autem, qui quasdam harum notas haberet, eidem malignitati aut proximiorem aut proximum dixerunt.

§. II. Versantes hîc in praxeos difficultate extremâ, quæramus ab ipsis celebrioribus practicis elucidationem.

Inter principes certè nostræ ætatis medicos collocandus *Trillerus*, *Libr. de Pleur. Ægror. I.* Hominem venæ sectione indigere censuit, quem die morbi quinto moribundum, imò mortuo simillimum esse reperiebat, quippe » cui facies pallida, » nasus acutus, tempora collapsa, os li- » vidum, oculi torvi rigidi & obscuri, » frigus per totum corpus, pectus cum » sterno tumidum & elevatum, abdomen » contra retrotractum, pulsus intermit- » tens, myurus, & adeò debilis, ut sæpè » vix percipi posset; respiratio planè in- » terclusa, caput cum collo flaccidum, » pendulum, & in humeros recumbens, » vivida ubique mortis imago.... Mihi » verò in his supremis angustiis constituto,

» consiliique inopi, experiri tùm demùm
» placuit, ecquid tandem tertia venæ sec-
» tio præstaret. . . . . Jussi igitur ut pedes
» frigentis, & jamjam morituri, calido
» balneo statim immitterentur. Quo facto
» dextri pedis venæ vulnus sat vastum
» lanceolâ inflictum, ast incassum prorsùs,
» ne guttula enim cruoris quidem prodibat:
» idem mox tentatum in altero pede;
» sed eodem irrito planè molimine. . . . .
» Mandavi iterùm ut ferventior adhuc
» aqua, imò ferventissima affunderetur.
» Quod tantâ quidem solertiâ præstitum
» fuit a ministris, ut bullulæ excitarentur
» in ægroti pedibus, & epidermis absce-
» deret; sed saluberrimo per DEUM, &
» felicissimo eventu effectuque. Utraque
» enim vena antea frustra percussa, nunc
» voto nostro perfectè respondebat, sa-
» tisque largam copiam latâ scaturigine
» ejaculabatur; ita ut 12 & ampliùs vitalis
» laticis unciæ in aquam defluerent. Tùm
» verò mirabilem prorsùs rerum vicissitu-
» dinem, lætamque catastrophen vidisses.
» Mox enim a sectis venis vividus color
» faciei, blandus calor corporis, liberior
» spiritus pectori, & fortior ordinatior-
» que ictus arteriis redibat, nosterque se-
» mimortuus venator sensim reviviscebat.
» Sputo, sudoribus & urinâ, ad nonum

» morbi diem judicio integro absolutus
» est. »

In viri *Ill. Halleri Tomo II. Disput. de Morb. hist. & curâ n°. 52*, penè similis cura in simili debilitate extremâ enarratur, quem vir sagax, ac prudens magni regis archiater *Cothenius* perfecit.

In historiâ pestis curæ planè similes, eæque numerosæ, ejusmodi malignitatis habentur. Nihil altius unquam medicorum pectoribus insitum fuit, quam inevitabilis perstiferorum a venæ sectione pernicies, eò quod pestis vitæ summam inferret debilitatem. Hanc medicorum opinionem ordine sæculorum recensui *Rat. Med. Cont. Tom. I. cap. X.* Sic ut in pestiferâ pulsûs viriumque debilitate, & sanguinem mittere, & occidere ægrum, idem esse, ubivis terrarum crederetur. Quum interim medicis sapientior natura ægros, eosque desperatos, spontaneis sanguinis evacuationibus sæpè curaret, non potuit tamen antiquum præjudicium profundiùs evellere, quam quod nonnulli, utì v. g. *Oribasius*, non quidem venæ sectione, sed scarificatione, eâque largâ, naturam imitari auderent, ac penè omnes servari lætarentur; alii in principio, modicèque, venæ sectionem tantummodò admitterent: donec demùm *Felix Plate-*

rus, veteris quamvis opinionis tenax, aliorum tamen laudaret fortunam curandi, » qui extremum in phlebotomiâ remedium » facientes, tam copiosâ sanguinis emis» sione factâ, ut animi indè sequeretur » deliquium, se multos liberasse fateantur, » & nullam aliam, nisi vehementem san» guinis detractionem, probent; » verùm hi in pestis principio duntaxat. Audaciores quidam etiam in morbi decursu venam tuderunt, modò neque anthraces, neque bubones adhuc comparuissent; quæ & posteà fuit sententia *Sydenhami*: tandem *Riverius*, *Botallus*, *Marescottus*, *Sinapius*, suos desperatos pestilentes, quos passim mori, si sanguis non mitteretur, mœsti viderant, etiam tumoribus conspicuis sectâ venâ servaverunt.

Ex eodem falso principio, quo in peste, venam in variolis tundere metuerunt, cum hæ, persæpè malignæ, extremam debilitatem inferrent. Usus interim ostendit practicis, qui a putatâ debilitate letiferâ variolosos, in vitam redire largâ, aut uteri, aut hæmorrhoidum, aut narium fluore sanguineo pluries viderant, hanc debilitatem vene sectione curari, etiam in ejusmodi pustularum frequentiâ, ut qui admitteret scalpellum locus vix inveniretur.

Ex omnibus hisce videmur id jure conficere, ut ea quidem virium projectio detur, quam laudati autorum textus descripserunt, in quâ venam secare piaculo foret; at verò ut ea virium prostratio, quæ minimè a viribus deperditis, sed unicè ab iisdem suppressis, captivisque oritur, longè sit frequentior; sic ut supprimentium humorum copiâ detractâ, vasis & liquidis libertas se movendi, contrahendique redeat, atque vires mox appareant validiores. Ne displiceam longiore sermone, remitto lectorem in demonstrationem locupletem hujus veritatis ad *Tomum ac Cap. mox laudatum*, nec non ad *T. XIV. part. II ejusdem operis.*

Si proindè in debilitate, vel maligni morbi cujusque communis, vel variolarum, pauci existant, qui ex vero virium defectu, verâque humorum dissolutione, debiles reverà sint; & è contrario plurimi omninò habeantur, qui a suppresso sanguinis circulo debiles quidem apparent, re autem verâ non sunt: si secundo in rariore illâ verâque debilitate plerique pereant, ut notant scriptores, licèt ipsis vena secta non fuerit; & in debilitate simulatâ liberali sanguinis missione in vitam plurimi, alias perituri, restituantur; videmur meritò concludere in morborum

quorumcunque debilitate malignâ infinito plures, venâ non sectâ, quam eâdem sectâ mori: adeòque longè consultiùs humano generi esse, ut & in pestis, & in variolarum, & in acutorum debilitate sanguis detrahatur, quam ut in corpore metu debilitatis relinquatur.

Opponi equidem ea sæpiùs laudata felicitas posset, quâ in variolarum, cæterorumque morborum debilitate, ægri & citra venæ sectionem, & datis generosis cum ipso vino cardiacis, sanitatem adepti sunt: verùm multiplex est ad hanc objectionem responsio.

Ac *primò* quidem dico, licèt sic nonnulli servati fuerint, uno tamen ore omnes scriptores loimographos in eo convenire, quod in hoc virium prostratu datis cardiacis, venâ non sectâ, morerentur plerique. Ipsi hoc *Boerhaavius*, & *Ill. Van Swieten*, textibus suprà allatis testati sunt.

Secundò. Ipsi illi loimographi autores, qui nec venam hoc in statu secabant, & cardiacâ consuetudinis veneratione potiùs, quàm spe sanationis porrigebant, nobis curas & mirabiles & multas tradiderunt, quas viderant, audiverantve, largam copiam sanguinis vel naturâ, vel arte profundente, peractas.

Tertiò. Pestilentium autorum illi præ-

primis has sanguinis, sive a naturâ, sive ab arte factas evacuationes, in pestis ac variolarum debilitate laudarunt, qui olim consuetudinis tenaces, paucos, naturam autem secuti, permultos servarunt.

Quartò. Si rariore casu a cardiacis in hac debilitate ab orco quis redimeretur, vel cardiaca, vel vina, tantâ sive aquæ, sive seri lactis copiâ intermista fuêre, ut plus vi diluentium, quam excitantium servaretur. Id porrò ex variis historiis concludere datur: vel datus fuit, ut vidimus, pro excitante crocus; qui an sæpius vi suâ paregoricâ, in malignis variolis adeò laudata, non plus quam aromate agat, suspicari licet: vel tandem homines vitæ tenaces admodùm, & morbum, & methodum curandi insalubriorem superarunt.

§. III. Est ergo demonstrata inertia rationis, ob quam in debilitate malignorum morborum methodus calidior esset moderatiori præferenda. Verùm alia adhuc examinanda ratio est venam in hoc statu non secandi, quæ ab humorum putridâ solutione peti solet. Quæritur ergò, an in morborum malignorum debilitate soluti in putredinem humores sint?

Hoc an verum sit, non ratiocinia, sed experimenta decidere possunt. Porrò quæ hanc rationem non mittendi sanguinem

penitùs ſubvertant experimenta, quæ præ-tereà privatè in ædibus ægrorum obſervavi, quæ publicè in noſocomio demonſtravi, adeò numeroſa ſunt, ut horum enarrandorum prolixitatem hujus opuſculi brevitas vetet. Qui ſingula videre amat, adeat *Rat. Med. Tom. I, a pag. 60 ad 66; Parte II, toto Cap. II; Parte III, toto Cap. III; Tom. II, Cap. VI, p. 166; Tom. II, Parte V, Cap. I, pag. 212; Tom. V, a pag. 51 ad 58; & Rat. Med. Cont. Tom. I, Cap. IX toto.*

Ut autem horum experimentorum vim eventuſque compendio tradam, auditores mei centies viderunt ſanguinem in variolis maximè malignis, in malignissimis morbillis, atque ſcarlatinis, idque in nonnullis paucarum ante mortem horarum ſpatio, vel densâ ingentique cruſtâ tectum, vel ſi cruſta deeſſet, rubræ partis ſoliditate vix perſcindendum; & è contrario in acutis inflammatoriis non malignis, vel nullâ cruſtâ tectum, vel in craſſamine diſſolutum, aut pultem, nullam autem inſulam formantem; longè adhuc crebriùs in priore venæ ſectione craſſum, in ſequenti ſolutum, vel & vice versâ; idque aut die aliâ, aut aliâ horâ, aut ſæpè in venæ ſectione eadem: continuante interim inflammatione in ſanitatem, in mortem, in alios morbos.

Itaque paucioribus veræ debilitatis, veræque humorum diſſolutionis caſibus exceptis, quos laudati ſupra medicinæ principes viri notarunt; experimentorum myriades hæ alia, & cum prioribus pugnantia clamantes, oſtenderunt theoreticam diviſionem morborum *in benignos, quibus & craſſi humores, & ſufficientes ad coctionem vires adeſſent; & in malignos, qui fatiſcentibus vitæ viribus, ſolutâ humorum craſi, deficientibuſque ſpiritibus, mortem minitentur*; juſtam haud omninò eſſe, ſed plenam in diagnoſi erroris, plenam in medendo periculi: tutiorem longè eſſe *Hippocratis*, quam ſecuti & *Sydenhamus* & *Boerhaavius* ſunt, de morborum benignitate & malignitate definitionem; quâ *primò* benigni illi appellantur, quibus a cauſis communibus origo eſt; quorum decurſus ratione durationis, ſymptomatum, exitûſque, naturalem ſervat conſuetudinem; & quibus a conſuetis auxiliis ſalus, raraque mors eſt: & quâ *ſecundò* maligni vocantur hi, qui a causâ aut venenatâ, aut violentâ naſcuntur; qui conſuetum non ſervant acutorum ordinem; qui anomalibus ſtipantur ſymptomatibus; qui ad data opportuna remedia exaſperantur potiùs quam mitigantur; quique magnam eorum, quos prehenderint partem, occidere ſolent.

Sic demùm judico ex meris experimentis me variolas naturales curandi methodum tradidisse, & observationibus ab inoculandi methodo mutuatis sic statuminasse, ut si nulla ultrò fiat methodum utramque in variolis spontaneis admovendi difficultas, spes summa sit fore, ut hæ, hucusque populatrices, plurimis horum quos invaserint, deinceps parcant. Ne ejusmodi difficultas subsistat, omnes, ni fallor, nervos intendi : finem impono labori relatis notandis maximè experientiis *Ill. Van Swieten in præfatione V Tomi.*
» Satis magnum numerum vidi feliciter, » qui insitionem subiverant, & toto va» riolarum decursu ne minimum quidem de » ullo remedio sumpserant.

» Cibus erat ex jusculis, carnibus ju» niorum animalium, oleribus mollibus, » fructibus horæis benè maturis, pane & » farinaceis ferculis; simul concedeban» tur & ova in cibis.

» Habitabant omnes in palatio æstivo, » satis amplo : AUGUSTISSIMA IMPERA» TRIX omnia ad victum & lectos ne» cessaria curabat adesse ; imò post morbi » finem largiebatur munuscula singulis. » Quotidiè versabantur omnes per plures » horas in horto, antè meridiem, post » meridiem; ad prandium & cœnam re-

» dibant domum. Curam habebat omnium
» ex archiatris unus, cui hæc provincia
» demandata fuerat.

» Cùm in propinquo ſatis loco habita-
» rem ipſe, in quindecim juvenibus totum
» morbi decurſum vidi ab inſitione factâ
» ad ſanationem uſque.

» Omnia autem quæ in variolis per in-
» ſitionem productis, obſervatione digna
» videbantur, ſollicitè notata, publico
» communicabuntur brevì.

» Cùm autem variolæ hæ contagioſæ
» ſint, æquè ac naturales, in pago vicino
» arci regiæ idem morbus propagatus, &
» illis qui naturalibus variolis laborabant,
» concedebatur in arce locus apud priores,
» & omnes eâdem methodo tractabantur,
» felici cum eventu.

» Undè quibuſdam nata hæc opinio
» variolas naturales, ſi libero aëri expo-
» nerentur ægri, ſine remediis multis,
» ſine ſtrictâ adeò vivendi normâ, curari
» poſſe æquè feciliter, quam illas quæ
» inſitionem ſequuntur.

» Confluentibus admodùm variolis la-
» borantem puellam, in arce regiâ, eo-
» dem in loco cum inſitione varioloſis
» habitantem, & cum illis in hortum quo-
» tidiè delatam, evaſiſſe feliciter novi.

» In pluribus variolis admodùm nume-

» rosis, discretis tamen, ægrotantibus;
» eamdem curandi methodum tentavi cum
» optimo successu.

» Mirabantur adstantes his ægris sim-
» plici tali curæ cedere tantum morbum.
» Sed dudùm jam innotuit hæc sententia;

Simplex, veri sigillum.

RATIONIS MEDENDI CONTINUATÆ

TOMI II. PARS ALTERA,

NONNULLA

DIFFICILIORA PATHOLOGIÆ

REFERENS ET EXPLICANS,

MULTIS TABULIS ILLUSTRATA.

PRÆFATIO.

In hujus tomi alterâ parte mens eſt elucidare difficiliora quædam pathologiæ, quæ partim in variis hujus operis tomis enarrata ſunt, partim, aut obſervationum abundantiâ in idem non potuerunt inſeri, aut ad propoſitam diſſertationem inepta, in oportuniora tempora reſervanda erant, aut editis denique fuêre poſteriora. Hæc nunc exhibeo tabulis illuſtrata, quibus ea, quæ ſæpiùs verbis illuſtrari ſufficienter nequeunt, clarâ in luce collocentur. Vitam ſi DEUS viresque largiri dignetur, complures

in ſequens opus tabulas adornabo. Cùm enim perennis ea mihi conſuetudo eſt, ut morientibus ſive ægris in noſocomio, ſive aliis qui in urbe ſuburbiiſque, morborum chronicorum ſolamina petituri, me in noſocomio convenire ſoliti erant, anatomen paſſim publicè inſtituam, morborum cauſas indagandi, delineandi, ſollicitèque de iis cum meis auditoribus conſerendi gratiâ; magnam rerum mirandarum ſuppellectilem nobis adeſſe quiſque facilè intelligere poteſt. Porrò haud contemnendum, ut puto, habebit opus uſum. Quantamcumque enim laudem, atque gloriam, medicina

priſcorum opera, poſteriorumque, qui priorum veſtigiis preſsè inſtiterunt laboribus, conſequuta ſit, nihilominùs artem haud infrequenter natura ludit. Vel enim cauſam reperit anatome, ab eâ plus minuſve abſimilem, quæ videbatur viventi adeſſe, vel quæ ſolitaria putabatur eſſe, combinata eſt; vel talis invenitur, ut in vitâ nulla ejuſdem indicia haberi certa potuiſſent; vel deprehenditur prorsùm nulla; vel denique aut unica, aut geminatæ, eæque notabiles ægritudinum cauſæ deteguntur, quarum viſi nunquam viventi fuerant morboſi effectus. Hæc autem noſſe

intereſt noſtri. Probi artificis eſt æquè noſſe quam arctis crebrò conſcribatur medicina cancellis, quam cujus in multis ſit poteſtatis.

RATIONIS MEDENDI CONTINUATÆ

TOMI II. PARS ALTERA.

CAPUT I.

De calculo humano Renum, ac vesicæ urinariæ, & de variâ mutatione atque depravatione ouropoietici systematis.

CAPUT I, II & III in Tabularum expositione unicè versabuntur, & eâ quidem lege, ut si rerum in Tabulâ repræsentatarum historia in *Ratione Medendi* contineatur, lector ad eum hujus operis tomum paginamque remittatur; sin verò eam necdum hoc annuum opus comprehendat, ut tunc præmittatur demonstrationi historia morbi. Caput denique quartum epicrisin singulorum dabit.

Casus primus repræsentat systema urinosum adolescentis XI annorum, cujus historiam dedi *Rat. Med. Tomo omnium primo, a pag. 78 ad 83*, quæ ibi quæ-

renda. Delineavi in cadavere juſtâ partium magnitudine ac ſitu.

TABULA I.

Figura I.

A. A. Renes monſtroſi cum ſuâ corticosâ ſubſtantiâ.

B. B. Pelves enormes.

C. C. C. C. Puncta hæc continuantes pelvis ramos ſub maſsâ corticosâ denotant, quam citra læſionem altiùs ſeparare non licuit.

D. D. D. D. Volvuli, amplitudineſque variæ ureterum.

E. E. Veſica urinaria tranſciſſa, juſtæ magnitudinis & craſſitiei.

F. Calculi ſitus ac magnitudo, figuraque, pondere unc. 11, unâ dragmâ mediâ exceptâ.

G. Calculi tuber exitum premens ureteris.

Figura II.

Veſica conſpecta à poſteriore.

D. D. Ureteres.

E. E. Veſica urinaria.

F. F. Inſertio ureterum apertorum, ſed a calculo compreſſa.

G. Tuber in veſicâ a calculo.

H. Foramen ex veſicâ patens in ſphacelatum

celatum ſaccum, formatum ab accretione latâ recti inteſtini, & vermiformis appendiculæ cum ſuperiore, eâque poſteriore veſicæ facie. *Vid. Loc. ſupra laudatum.*

Casus secundus. Piſtor 26 annorum, dum quartum ageret ætatis annum, calculum mingendo excrevit hordei grani magnitudine. Ab eo tempore urinam reddere conſuevit fœtido ponderoſoque glutine ſaturam. Debuit ſæpè, eam redditurus, corpus ſupinare, ſemper cum dolore. Multis olim, multis etiam ultimis 5 menſibus fruſtrà uſus, in noſocomium noſtrum illatus eſt, calculo ſecandus. Catheter facilè intrans veſicam manifeſtò calculum deprehendit: injectiones in veſicam ad leniendos dolores facilè immittebantur. Quo verò die lithotomia decreta eſſet, deincepſque ad mortem uſque, neque omnis generis catheteri, neque, ut vocant, candelis aditus in veſicam patuit. Dolore enormi, frequenti febris validæ inſultu, vigiliis, ac demùm ſopore affectus, & 16 horarum ſpatio dirè cum morte luctatus obiit. In hoc corpore pallido & ab annis cacochymico, bis miſſus, ob immanes febres in hoc ultimo morbo, ſanguis violento jactu proſiliit, mox ſuperiore parte in cruſtam verè pleuriticam, infe-

riore in partem vix scissilem mutatus. Hæc historia necdum inscripta *Rationi Medendi* est: Tabula autem VII conspectum anatomicum habet; cujus en explicationem.

A. A. Renes; dexter autem & mole & fabricæ corruptione monstrosus.

B. Consumta papillarum substantia effusâ urinâ repleta.

C. C. In eodem dextro rene calculus magnus, & minimus; magnus autem informibus asperisque processibus, iisque minimùm tredecim horrendus.

D. D. Immanes utriusque pelves, æquè ea quæ non calculosi renis, quàm quæ calculosi.

E. Destructa fabrica renis non calculosi, effusâ urinâ repleta.

F. F. Monstrosi ureteres, non minùs alithiaci renis, quàm lithiaci amplitudine flexuque varii.

G. G. Eorumdem ad usque vesicam amplitudo.

H. Vesica urinaria, cum uracho & vasis deferentibus.

I. I. Crassitudo transcissæ vesicæ, soliditasque.

K. Calculus suo in situ.

L. Locus calculi abrasus, in fundo niger.

M. Calculus è rene exemtus, suosque multiplices processus exhibens.

Casus tertius. *Rat. Med. Parte IX, a pag.* 21 *ad* 29, historiam hominis descripsi, qui octavo ætatis anno lumbos contusus, tandem cum renum calculo 40 annos natus, in nostrum nosocomium moriturus venit. Ad ejus historiam illustrandam *Tabula tertia* calculos solummodò exhibet, haud verò totum systema urinosum, quod duæ priores exhibent: erant autem renes, & ureteres haud multùm dissimiles mole amplitudineque a prioribus. Quærantur in hâc III Tabulâ figuræ non cum A. B. C. D. E. F. notatæ, sed quæ numeris 1, 2, 3, designantur.

TABULA III.

Fig. nº 1, 2, 3, in medio Tabulæ.

Fig. nº 1.

Repræsentantur calculi quatuor, his litteris indicati eo modo, quo in rene ad se mutuò juncti locabantur.

Fig. nº 2 & nº 3.

Hæ eædem litteræ A. B. C. D. nunc eosdem quatuor calculos, verùm & sejunctos, & aliâ facie versos repræsentant.

CASUS QUARTUS. In principio ejuſdem Tabulæ III, ſex renum calculi excluſi ſunt, quos antequam exponam, ipſam morbi hiſtoriam paucis dabo, quia necdum relata in annuâ *Ratione Medendi* hucuſque fuit. Matronæ ſunt calculi, plurium infantum matris, quæ multis ab annis lumborum, inguinum, crurum doloribus vexata, jamque calculum parvum ante 17 annos urinata, tuſſi dein & levioribus aſthmatis inſultibus, & hydropi ulceroſo crurum obnoxia periit tandem 19 martii 1771. Sequenti die cadaver luſtrans, pectus, abdomen & artus incredibili craſſitie panniculi adipoſi ſepultos miratus ſum, cellulis ejuſdem, partim oleo, partim ſero turgentibus. Hydropem thoracis falsò eramus in vitâ ſuſpicati: cor vehementer anevriſmaticum, potiorem univerſi thoracis partem explens: enormis adipis moles in laminas craſſas, fibris inter ſe nexas abeuns, & pericardio cohærens, cavum medium inferius cameræ ſiniſtræ thoracis explebat. Igitur non thoracis hydropi, ſed enarratis mox cauſis, anxietates aſthmaticæ attribuendæ erant.

Renes autem ingentes, habentes quo involvebantur adipem, in ſeparatas craſſas laminas, fibris autem inter ſe co-

hærentes, quemadmodùm ad pericardium abeuntem : ſic ut ambo renes cum circumvolvente adipe, altitudine pedem geometricum *Viennenſem*, qui *Pariſino* quatuor lineis præter propter brevior, *Rhenolandico* quatuor circiter lineis longior eſt, æquaret ; latitudine autem pedes integros duos. Ren dexter quinque calculos locabat, lævus unum : quinque calculi dextro rene conjuncti hærebant, trium pollicum ſpatium explentes, cohærentes autem ſic cum mutatâ renum in albam atque cartilagineam maſſam ſubſtantiâ, ut vi quâdam undique ab eâdem avellendi eſſent.

Igitur in eâdem Tabulâ III, fig. A, fig. B, fig. C, fig. D & fig. E, calculos deſignant renis dextri.

In fig. A.

A. Calculus primus.
B. Superior pars, penitùs abrupta.
B. Proceſſus minor.
D. Proceſſus major.
E. In hoc loco adhuc tectus erat cortice ſuo calculus.

Pondus nuc. ſem. & g. XLVIII.

Fig. B.

A. Calculus alter.

B. Superior pars abrupta.
C. Rupes in medio.
De cortice hîc parum supereſt.
Pondus dr. I & gr. XXXI.

Fig. C.

A. Calculus tertius.
B. Superior pars abrupta.
C. Latus veluti abſciſſus.
Pondus gr. LVII.

Fig. D.

A. Calculus quartus.
Pondus gr. XI.

Fig. E.

A. Calculus quintus planior.
Pondus gr. VI.

Aderant præterea plures lapilli triquetri, aut quadranguli, quales nephritici frequenter ſolent mingere. Color omnium calculorum fuſcus, hinc indè griſeus, & per inſulas cruſtæ aderant portiones. Pondus adſcriptum eſt ſiccorum calculorum. Atque hi in rene dextro.

In rene ſiniſtro autem unicus calculus fuit.

Fig. F.

A. Calculus renis ſiniſtri.
B. }
C. } proceſſus ejus, ſeu radices.
D. }
E. Puncta in ſuperficie E corticem integrum notant.

TABULA VI.

CASUS QUINTUS. Syſtematis urinoſi depravationem multam etiam ab aliis cauſis quam a calculo ſæpiùs deprehendimus. Exemplum ſiſtet tabula ſexta. Nondum potui hiſtoriam morbi inferre in annuum opus: paucis itaque hîc illam dabo.

Juvenis variolas morbilloſque, ut refert, nunquam paſſus, anno ætatis 12, febre primùm tertianâ, poſtmodùm quartanâ laboravit, febre autem liber, tumorem ſe habere animadvertit in latere lævo dorſi, mox infra ſpurias coſtas, eumque perpetuum. Per idem tempus perpetuò vexatus fuit ulcuſculis oris interni, gutturiſque. Hæc tamen non impediverunt quin anni 1766 examen ſubiret, & 4 aprilis laureâ Apollineâ condecoraretur.

Anno 1768, adventante vere, quotidiana eum febris cum obtuſo lumbi ſiniſtri dolore prehendit: excepit hanc

continua 7 dierum, cum violento lumborum dolore, methodo antiphlogisticæ cedens.

Porrò sub hujus febris finem tenax, fœtida, ac pellucens ferè, & fundo matulæ affixa materies adparuit, si multas horas urina in matulâ quievisset. In nocturnâ autem urinâ duntaxat, nunquam in diurnâ, dudùm licèt repositâ, observabatur hæc materies. Apurexiam duodecim dierum continua excepit quinque dierum febris; hancque hectica, cum enormibus nocte sudoribus. Cùm res ipsi angusta domi esset, in nosocomium eum recepi 10 aprilis 1768. Post 11 dies pus cum urinâ prodire cepit, continuavitque; a quo tempore hectica febris imminuta, & tandem 20 maii sic ablata est, ut pauco cùm dolore, tùm pondere lumborum, nosocomio valedixerit. Nitrosa paregorica emulsa, enemata oleosa, lenia nonnunquam eccoprotica, & totius althææ cum addito syrupo violarum decocta, unicè ferre potuit, unicè profuêre.

Eâdem æstate ad physicatum in *Carinthiam* profectus, tantam opem a motu corporis, atque a necessariis ad dissita loca itineribus se tulisse testabatur, ut omnis doloris sæpè expers fuerit. Intereà duxit uxorem, fortunamque *Viennæ*,

quam in *Carinthiâ*, majorem ſperans, hùc appulit, altum 102 graduum domicilium incoluit, quos gradus ſæpiùs, diuturnioreque tempore ſingulis diebus conſcendens, demùm domi manere, & anno 1772, menſe martio febre continuâ laborare cepit. Pluſquam fraternam opem & amorem illi tunc contulit egregius medicus & magnificus archiater *Stuntzer*, quocum ſæpiùs deindè ægrum vidi. Defuerat ab aliquo tempore purulenta urina. Eo tempore magna pectoris obſervata inflammatio, anxietaſque eſt. Quæ ſenſim imminuta, quandò aprili menſe in ſingulâ eâque abundantiſſimâ urinâ pus confertim prodiit, primò leviter, paulatim verò tam horrendè fœtens, ut abjicienda urina protinùs fuerit.

Tandem & pus tuſſi prodiit, idque tenue, ſanioſum, aliquandò ichoroſum, fuſcum, ſæpè lividum, fœtore intolerabili, cum anxietate inexplicabili, febre hecticâ, marcore, inſomniis, impotentiâ motûs ullius, nec reſpirandi facultate conceſſâ, niſi in lecto ſuper tranſverſum aſſerem, pulvinari tectum, corpus pronaret. Ineunte maio menſe obiit. Sequenti die anatomen fecimus, quid exhibuerit Tabula VI monſtrat.

A. Cor dextrum.

B. Auricula dextra.

C. Aorta.

D. Trachæa.

E. Pulmonis sinistri lobus superior.

F. Lobus ejusdem inferior consumtus ferè, unà cum lobi superioris interiore portione, sic ut totum hoc cavum repletum esset pure, inter lobi reliquias paucas locato.

G. Reliquiæ costarum & musculorum intercostalium.

H. H. H. Linea hæc locum diaphragmatis exibet; quod ne turbaretur figura, integrum adjicere nolui.

I. I. I. I. Ren sinister monstrosæ molis, excavatus penitùs, ut vix quid ejus parenchymatis superesset.

Notandum hîc est magnum diaphragmatis foramen, quod a renis pure, renem mole suâ diaphragmati hoc in loco contiguum cum eodem primùm connectente, deindè, consumto rene, & diaphragma sensim exedente, plumonem tandem consumente, factum est. Ita ut ren cum pulmone unicum saccum sine ullo intermedio sepimento formaret.

K. Ureter pure copioso, in vesicam sæpè non influente, in formam intestinalem conversus.

L. Ureteris ejusdem capacitas naturalis vesicam ingressuri.

M. Vesica urinaria.

Porrò hæc omnia magnitudine suâ propriâ in cadavere notata exhibentur.

Nihil hîc elucido hanc tabulam, morbive historiam; post tabularum expositionem pathologicum discursum adjecturus.

Hoc capite renum ac systematis urinosi, cùm a calculo, tùm a pure, depravationes destructionesque vidimus; cùm itaque de renibus nunc sermo præcipuè fuit, nescio quo oportuniore renes præternaturales, quos in cadavere inveni, auditoribus meis exhibeam; in sequentibus enim capitulis de longè aliis rebus agendum erit. Sit itaque

Casus sextus. Juvenis 17 annorum, a peripneumoniâ ruri neglectâ ac suppuratâ, in pertinacem integri mensis tussim incidit, tumoremque percepit sibi ad anteriora thoracis nasci; ac paulò post ad posteriorem, eamque ferè mediam femoris partem, tumorem alterum. Aperto per chirurgum tumore utroque, pus effluxit abundans. Hecticus nihilominùs fit, ac similem percipit tumorem in humero nasci; perseverante acerrimâ tussi. Unciæ puris octo ex aperto fluunt ad humerum tumore. Incipit purulentum cum tussi sputum, & vice versâ. Hectica sensim putridior. Nec

cortex peruvianus juvat, nec lac, nec alia quæcunque. Puſtulæ purulentæ numeroſiſſimæ toto loco quem cataplaſmata ad quatuor ulcera tegunt. Conſumtus tandem febre periit, poſt duos cum dimidio ærumnarum annos. Ab externis ulceribus via regia erat ad pulmonem dextrum. Inteſtini jejuni ſuperior portio ad longum digitum ab inferiore introſuſcepta, cujus nulla in vitâ ſuſpicio fuerat: tandem renes, ut tabula exibet.

TABULA VI.

Fig. II.

A. B. Ren numero unus, functione autem duplex. Non eſt cohæſio, aut coalitus, ſed unica in medio ſubſtantia, ſic ut A. & B. non niſi unicum homogeneum viſcus ſit. Exhibetur poſteriore facie, ut vaſorum introitus exituſque pateant ſpectatoribus.

A. Pars dextra renis.

B. Pars ejuſdem ſiniſtra.

C. C. Arteriæ renales ſingulo in latere duæ.

D. D. D. Venæ renales.

E. E. Ureteres.

CAPUT II.

De variis morbis quos difformia inteſtina generant ; & de variis, vice versâ, morbis, qui inteſtina difformia reddunt.

Tomo *III Rat. Med. a pag.* 346, *ad pag.* 356, hiſtoriam feminæ exhibui lectoribus, quæ inteſtino in inguine aperto diu jacuit in noſocomio noſtro, quæ eâ lege demùm curata eſt, ut hernia poſt curam obſervaretur, quæ bono poſtmodùm *brachierio* aptè contineri in ventre potuit, quamdiu rem benè curabat mulier. Contigit hæc hiſtoria anni 1762, februario menſe. Noſocomium ſana egreſſa ſæpiùs inter matutinos pauperes ſe ſtitit, auxilium contra varia mala petitura, & cum brachierii curam non haberet, eoque cincta quandoque in ſex menſibus non eſſet, ſæpiùs herniam recidivam paſſa ſuâ culpâ eſt; & quidem anno 1768, menſe novembri adeò pertinacem, ut eam in noſocomium denuò reciperem. Hic porrò jam 15 relapſus herniæ erat, ex quo anno 1762, hinc curata egreſſa eſt. In hoc

autem relapſu febris inflammatoria adfuit, leipothymia, aſphuxia, &, quemadmodum in primâ herniâ, cùm anno 1762 in noſocomio decumberet, & in ſingulo relapſu, ita quoque hâc vicê quintâ decimâ, vehementer tuſſivit: poſt laborioſam demùm herniæ repoſitionem conſueto more tuſſis ceſſavit. Tuſſis hæc etiam obſervabatur per omnes hoſce annos, quotieſcunque in regione herniosâ dolor, ſine herniâ, oriretur. Tandem domi ſuæ ſubitâ morte extincta eſt die 1 novembris anni 1771.

In cadavere ſic rem deprehendimus, ut in Tab. IV repræſento fig. inferiore.

TABULA IV.

Fig. inferiore.

A. Inteſtinum ileum ſic ſuam formam inteſtinalem deponens, ut ſaccum referret. Eodemque modo omnia inteſtina & ventriculus expanſa in ſacci formam erant, ac tympanitide enormiter ampla.

B. Inteſtini ilei angiportus.

C. C. . . . . . Puncta hæc plagam inteſtini notant, quod id cum peritonæo, & margine oſſis pubis concreverat.

D. Cicatrix in internâ inteſtini ſuperficie, ab aperturâ ejuſdem relictâ.

E. Diverticulum quod hîc ileum formabat.

F. F. Hernia femoralis, non ſtrangulata; erat enim duorum pollicum ſpatium marginem oſſis pubis inter, & aponevroſin muſculi obliqui externi, intra quod licebat duobus digitis liberè exſpatiari. Plura pluribus ultimo in capite.

Symptomata morbi, ac ſubitæ mortis, herniæ ſtrangulatæ omni dubio procul debentur. Verùm vomitus enormis adeoque inverſus periſtalticus motus, videntur omnem materiam, quæ ileum hoc llerniosum genuerat, penitùs per ſuperiora expuliſſe; quæ cauſa, cur nihil tale inventum, vel in hernia, vel in angiportu fuerit. Sed aër, qui plurimus inteſtina omnia tantâ tympanitide inflaverat, ut cordis pulmonumque motus ſuffocandus fuerit, undenam natus? Gangræna cum vaſorum rupturâ, & cruoris nigri per inteſtinorum ac meſenterii ſuperficiem effuſione, putridum hunc aëra, immenſumque creavit hîc; ſicuti ejus per putredinem generatione novimus ſubmerſorum cadavera ſpecificè leviora aquâ reddi. Eâdem hâc gangrænâ conſtrictionem hernioſam ſolutam eſſe certum eſt.

CASUS ALTER. *T. I, Rat. Med. p. 77, 78*, deſcriptus morbus puellæ eſt,

poſt diram cephalæam lentè pereuntis, citra vel minimum indicium ejus, quod in cadavere reperi, & tabulâ exhibeo.

TABULA II.

Fig. I.

Eſt introſuſceptio, ſeu volvulus inteſtini ilei, ubi portio ſuperior ſuſcipitur ab inferiore.

A. A. Pars inteſtini ſuperior.

B. B. B. Pars inteſtini inferior.

C. Locus ubi pars ſuperior, unà cum ſuo meſenterio ſuſcipitur, & in ſuſcipientem partem intrat uſque ad B. alteram.

N. B. Suſcepta hæc portio nunc duplo longior eſt in liquore ſervata, quam quando eamdem in cadavere videramus: manet tandem adhuc ita corrugata, ut adhuc fortè in duplo, aut triplo, majorem longitudinem extendi poſſet, ſed malumus eam ſuo in ſtatu, quantum poſſumus, conſervare.

Ad C. ubi volvulus incipit, ſuſcipiens inteſtinum progreditur per omnes tres B. B. B. ſic ut, ubi volvulus deſinit, & ad ſecundum B. umbra major apparet, quæ volvuli finem denotat, lector ſciat eſſe eamdem inteſtini portionem per omnes tres litteras B. B. B.

Fig. II.

Eſt idem fig. I. Volvulus, qui quo clariùs pateat, tranſciſſum inteſtinum ſuſcipiens, & in latera reclinatum utrinque fuit.

A. A. A. Tranſciſſa ea ſuſcipientis inteſtini portio, quæ tegebat & includebat portionem ſuſceptam: reflexa altera ejus versùs meſenterium portio non eſt litteris notata, ne figura turbaretur.

B. Portio inteſtini introſuſcepta.

C. C. Veſtigia eidem impreſſa a lumbricis tribus hanc portionem conſtringentibus.

Fig. III.

Oſtendit hos tres lumbricos, quemadmodùm in cadavere, aperto inteſtino, inveniebantur.

Casus tertius. Vir ſexagenarius ab annis 30 & ultra continuo ferè utebatur purgante, cùm citra id anxietates enormes pateretur, vomitus, & alvi defectum. Tandem poſtquam vomitus frequens ſub uſu etiam purgantium continuo rediiſſet, ipſaque purgantia & alvina excrementa vomitu prodiiſſent, obiit. In cadavere invenimus ingentem tympaniam omnium cùm tenuium, tùm craſſorum inteſtino-

rum, exceptâ portione coli a liene descendentis & ad os ilei se flectentis; quæ portio pedis longitudine vix digitum capiebat, ubi reliquâ suâ parte totâ colon hominis femur admisisset. Singularis autem erat valvuli coli conspectus, ut figura docet.

TABULA IV.

Figura superior.

Sine adjectis litteris patet cæci saccus, ileique in eumdem ingressus: tum & destructata ita *Bauhiniana* valvula, ut modicum tantummodò foramen apertum relinqueretur. Reliqua in epicrisi.

CASUS QUARTUS. Tornio aulicus ileo pluries in vitâ laboravit, eoque demùm extinctus est. Cadaver in aulâ aperui, & morbi sedem mecum ferens, adhuc servo in liquore. En figuram.

TABULA III.

Figura infima, seu solitaria.

Intestinum colon in ileo osse sinistro una cum suo mesocolo & appendiculis adiposis.

A. Coarctatio intestini, vix stramen admittens.

CASUS QUINTUS. Sexagenarium homi-

nem nobilem, anno 1765 ictero viridi pessimo laborantem cum lapideâ hepatis duritie, plures medici curaveramus integrè decocto antiicterico pharm. Vien. pil. ex extr. Rhei. Sapon. Ven. Gum. Amm. M. P. Ruffi; postmodùm aëre rusticano, aquâ Selterenâ cum lacte, ac tandem equitatione.

In quintum annum exindè sanus, fistulâ ani laborare visus est chirurgo; quo operationem chirurgicam peculiari methodo molito, ani sphincter sic feriatus est, ut fœces recti ad hominis arbitrium servare ultra haud potuerit.

Anno 1771 non nisi purgante alvum misit, quod ipsum, quantâcunque formâ mutatum, sæpè nihil operabatur.

Mensi decembri ejusdem anni iteratò in consilium vocatus, tria corpora semipendula in recto dilatatissimo reperi; cujusmodi plura in cadavere invenimus. Patiens autem in ileo sinistro quam maximè conquerebatur, per quod globos fœcales duros, vel transire, vel morari percipiebat, ob idque sumto purgante singulas alvi solutiones ibidem præsentiebat.

Anno 1772, febre lentâ, sputis purulentis, tandem febre hecticâ 5 martii periit.

TABULA VIII.

Figura II.

A. Cœci inteſtini ſaccus, cum ſuo proceſſu vermiculari, & ilei introitu.
B. Flexus hepaticus.
C. Flexus ſecundus.
D. Flexus tertius.
E. Dilatatio coli in tenuem ſaccum, ne relictis quidem ligamentorum veſtigiis.
F. Colon denuò anguſtum.
G. Flexus linealis, iſque quartus.
H. Flexus quintus.
I. Flexus ſextus.
K. Flexus ſeptimus.
L. Flexus octavus.
M. Flexus nonus.
N. Flexus decimus.
O. Flexus undecimus.
P. Flexus duodecimus.
Q. Flexus decimus tertius.
R. Inteſtinum rectum vehementer dilatatum.
S. Sphincteris ani ſuperſtes ab operatione creditæ fiſtulæ ani ad pollicis amplitudinem dilatatio.

Figura III.

Juſta amplitudo recti, ut in cadavere erat, cum ampliſſimo ſuo ſphinctere; & excreſcentes in recto appendiculæ majores, minores, pendulæ; aut mucoſæ, & preſſione album mucaginoſum, quale perpetuò ferè ex ano defluxerat, fundentes, aut minùs molles, aut duriores, colore albæ omnes. Vide epicriſin in ultimo capite.

Casus sextus. Tabula VIII.

Figura I.

Colum inteſtinum totum, longitudine, flexibuſque præternaturalibus difforme, quale in ſuſpenſi hominis cadavere anno 1773, 10 febr. inveni.

Casus septimus. Tabula IX.

Figura I.

Colum inteſtinum, 12 febr. 1773, ex alio ſuſpenſo homine.

Casus octavus. Femina celebs vomitum in vitâ, jamque infans & puella paſſa, febre acutâ cum miliaribus anno ante obitum prehenſa, medio ante mortem anno vomitum ad ſingula ingeſta, deglutiendique difficultatem experta, tandem continuâ, aſt inæqualiter remittente,

febre consumpta, anno 53 ætatis suæ interiit, anno 1769, 13 nov. Cadaver sequenti die aperui, unà cum egregio practico Domino *Mathis*.

TABULA IX.

Figura II.

Aperto integro abdomine, vidimus epigastrium totâ parte ejus anteriore, laterali, & posteriore, repletum jecinore immenso: totum verò hypogastrium monstroso colo: intestinorum tenuium nullus conspectus; situs autem horum post colon, omnisque infra umbilicum. Quæ & causa fuit duodeni & ventriculi ad umbilicum situs.

A. Appendiculus cœci, ducens nos punctis notatis ad saccum cœci, hic colo subjecti, & punctis unà cum ilei ingressu notati.

B. Coli intestini principium, punctis notatum, & tandem post colon reflexum emergens.

C. Coli angustia, nuda hîc conspicíunda, in cadavere autem, colo reflexo, tumidissimoque tecta.

D. Flexus coli primus, præ mole hepatis umbilico non altior.

E. Flexus alter coli deorsùm, comprimens totum suum principium.

F. F. F. Omenti a colo ortus hic fuit in hâc laterali parte, quæ olim pars coli transversa, seu superior fuit.

Ad F. inferiorem, tertius coli flexus assurgens.

G. 1. Flexus quartus coli horizontalis.

G. 2. Flexus quintus deorsùm.

H. Locus umbilici.

I. Flexus coli sextus sursùm, cum aliquâ suî contorsione ad K.

K. Contorsio coli.

L. Flexus coli septimus deorsùm.

M. Flexus ejusdem octavus.

N. Flexus nonus.

O. Tandem ejusdem in rectum abitus.

Figura III.

A. Ventriculi corpus, formæ intestinalis.

B. Pylorus, principiumque duodeni.

C. Orificium ventriculi superius.

D. Œsophagi, tres pollices sub diaphragmate longi, flexus ferè intestinalis.

E. Exitus œsophagi ex thorace per diaphragma.

Explicationem omnium vide in epicrisi.

CASUS NONUS. Cùm de ventriculo vomente perpetuò mox sermo fuerit, addam hîc peropportunam ventriculi effigiem,

continuò vomentis, tam ex vi fabricæ formæque suæ, quam etiam vitio hepatis, ut in epicrisi patebit.

TABULA IX.

Figura IV.

A. Œsophagus.

B. Præternaturalis ventriculi hìc loci amplitudo, & saccus prior.

C. C. Angiportus in medio ventriculi, eoque in loco plicæ, & habenæ, quemadmodum pylorus solet habere.

D. Ventriculi alter saccus.

E. Pylorus.

F. Duodenum.

G. G. In spatio punctis notato ventriculus nudus, reliquo diverticulo suo utroque mole hepatis contectus & compressus.

CAPUT III.

Ad renum & inteſtinorum depravationes, eam Ovarii adjiciam, cùm ad pathologiam hydropis multum lucis adferat. Hiſtoriam dabo, cum nondum eamdem habeat annuum opus.

MULIER celebs, 28 annos nata, in noſocomium ſuſcepta eſt; quæ ordinatè quidem, parcè verò menſtruans, morbo acuto periculosè valdè ante quadriennium decubuit, a triennio autem & menſtruis carere, & dolere in inguine dextro cepit: dolori ſenſim tumor ſe junxit, qui intra annum ventrem univerſum ſic implevit, uti conſpicitur modo. Dixit fluctuationem percipere ſeſe. Manifeſtam hanc, inque epigaſtrio cum maximè, deprehendimus. Cùm nihil medicamenta juvarent, paracenteſin in dextro latere ſubiit, liquidi turbidi, fuſci, glutinoſi, aquâ $\frac{1}{24}$ ſpecificè gravioris, ad ignem parum coagulantis, libras xxiv educentem. Dolor poſt paracenteſin major, maximè ad tuſſim, quæ in dies moleſtior fuit. Parum venter decrevit educto liquido, ſed cum hiſce doloribus brevì denuò immaniter

intumuit, cum manifestissimis indiciis liquidi fluctuantis.

Undè iteravimus paracentesin in latere sinistro, ejusdemque naturæ liquidi haud ultra libras xiv educere potuimus. Et nunc, & antea, & ad finem usque, borborygmi flatusque eam molestarunt. Anginam cepit conqueri, parvi illam faciens, cûm sæpiùs in anno triduâ anginâ, gargarismo facilè evanidâ, laborare soleret: hæc verò quadriduo ante obitum nata, summæ inflammationis synanche fuit: cui cùm selectissima interna externaque auxilia minimè mederentur, & quarto die synanche sese adjungeret, febrisque in corpore hydropico adeò inflammatoria, aliàs vix exspectanda, se manifestaret, venam secuimus, & sanguinis modicam copiam utroque in vasculo densissimâ crustâ in fimbriam contractâ tectam conspeximus: inflammatione atque anxietate imminutis, dolor intensus abdominis ortus est, vomitus frequens, & quinto anginæ, 13° autem a primâ paracentesi die obiit. Quod in cadavere vidimus, tabula explicabit.

TABULA V.

Figura I.

A. Fundus uteri valdè parvi.

B. Ejus orificium pollicis longitudine, & pervium per totam longitudinem.

C. Veſica urinaria reflexa.

D. D. Ureteres.

E. Ovarium dextrum.

F. Ovarium ſiniſtrum.

G. Tuba fallopiana dextra creſcens cum ovario, eique accreta, cum lacero ſuo fine; a cavo uteri ad fimbriam ſuam uſque egregiè pervia; XIII pollices longa.

H. Ovarium internum, exſciſſâ ejus parietis portione. Fundus ovarii plenus tumoribus informibus, mole, figurâ, duritie differentibus, numeroſiſſimis, ob materiem, aut evacuatam, aut effluentem, mollem, ac veluti purulentam non conſervandis. Reliquam ovarii capacitatem humor explebat ſimilis illi, qui eductus in paracenteſi fuerat.

I. Vaſa per totam externam ovarii ſuperficiem diſperſa. Parva hæc ſunt. In aliis ejuſmodi ovarii vidi eâdem proportione ampliata, quâ ovarium.

Figura II.

Ad implendum hoc vacuum, appendiculam auriculæ ſiniſtræ cordis pinxi, qui in illo homine renibus calculoſo inventus, cujus hiſtoriam Rat. Med. Tom. V, p. 21, ad 29 dedi.

Tandem partim curioſitatis anatomicæ, partim utilitatis practicæ causâ, cùm in vigenti jecinoribus humanis non niſi bis licuerit cyſtico-hepaticos demonſtrare ductus: primâ vice tamen tres, quos oſtendit figura; alterâ vice unus ſolummodò inveniri potuit: adjiciam duas figuras, alteram hepatis hominis, alteram bovis, ut vaſa cyſtico-hepatica clarè demonſtrentur, quæ magni viri elapſo ſæculo demonſtrantes, malæ fidei a poſterioribus, qui eadem invenire non potuêre, habiti ſunt. Ad intelligendum explicandumque icterum plurimùm faciunt. Adornavit ſub oculis meis ad vivum has duas tabulas egregius medicinæ ſtudioſus *Georgius Prochaska*, cultor anatomes eximius, praxeoſque ſolertiſſimus, jam verò in meo noſocomio medicinæ aſſiſtens. Monere tamen debeo non in ſingulo hominum brutorumque hepate facilè hos conſpici ductus, ergo facilè conjectari poteſt cur eoſdem plures negarint: multâ proindè

patientiâ & induſtriâ ad eorumdem demonſtrationem eſſe opus.

TABULA X.

Figura I.

A. Humani hepatis lobus major.

B. Lobus minor.

C. Lobulus Spigelii.

D. Trajectus venæ cavæ inferioris.

E. Vena portæ.

F. Sinus venæ portæ.

G. Ligamentum rotundum hepatis, ortum ex venâ umbilicali concretâ.

H. Ligamentum eſt, quod erat olim canalis oppoſitus venæ umbilicali in fœtu, ex ſinu venæ portæ in venam cavam patens.

I. Arteria hepatica.

K. Ductus choledochus, ex hepatico & cyſtico coeuns, & ne demonſtrationem turbaret, ſursùm reclinatus.

L. Veſicula fellea.

M. M. Pars his litteris notata veſiculæ felleæ adhæſerat hepati per totum ſpatium notatum N. N. Ab hepate igitur ſeparata fuit, & ad latus dextrum reclinata, quo ductus cyſtico-hepatici conſpici poſſint. Notandum autem eſt hanc ſeparationem ſic factam fuiſſe, ut tunica

musculosa vesiculæ relicta fuerit in cohæsione cum hepatis parte per N. N. notata; & partem vesiculæ M. M. sola tunica nervea contegat. Itaque.

N. N. Jecoris pars, cui adhæserat pars vesiculæ M. M.

O. O. O. Exitus ductûum cystico-hepaticorum ex hepate per succedentes fibras tunicæ musculosæ vesiculæ felleæ; qui ductus obliquè descendunt inter tunicam musculosam & nerveam: nervea verò, internaque tunica vesiculæ perforata in hujus cavum hiant. Compressa vesicula, viaque per ductum cysticum intercepta, turgebant & implebantur hi ductus bile ab insertione in vesiculâ, versùs exitum eorumdem ductûum ex hepate.

P. P. P. Insertio horum ductûum in vesiculæ cavum.

Figura II.

Est eadem demonstratio, priore adhuc clarior, in hepate bovis, in quo quidem semper inveniuntur, & cujus ea modo servata pars est, quæ demonstrationi erat necessaria.

A. A. Pars bovini jecinoris.

B. Vesica fellea.

C. C. Ductus cysticus.

D. D. Portio hepatis, excissa, quo pateat ductus F.

E. Ductus cystico-hepaticus seu hepatico-cysticus, in ductum cysticum apertus.

F. Alius ductus magnus hepatico-cysticus, obliquè in vesiculam felleam patens.

G. G. G. G. G. Similes, sed minores ductus, singuli in vesiculam patentes.

H. H. Arteria cystica, hîc ante ductum E. decurrens, qui ductus, ut totus conspiceretur, arteriæ ante illum transeuntis pars transeuns demta fuit.

I. I. Venæ cysticæ, ex hepatis substantiâ egressæ, quum venam concomitantur fasciæ adiposæ, hîc per spatia alba designatæ.

CAPUT. IV.

Recensio omnium historiarum anatomicarum, atque earumdem ad morbos quos genuerint applicatio, morborumque epicrisis.

§. I. Est calculus earum haud planè exigua causarum, quæ gravissimis, diuturnissimisque tormentis solet affligere mortales. Pluribus autem id efficit modis. Ac 1°. quidem mole, pondere, asperi-

tate, ac mirificâ ſuâ horrendâque ſæpè figurâ. 2°. Motu tranſmigrandi a renibus per ureteres in veſicam. 3°. Suâ breviore diuturnioreve in uretere alterutro morâ. 4°. Vario ſuo intrà veſicam motu ſituque. 5°. Alcalinâ ſuâ acritudine, quâ a moratâ atque imbibitâ urinâ imprægnatur, ac ſcatet. 6°. Muci naturalis nerveas partes oblinientis & defendentis, abraſione, quam ut in pelvi, inque uretere fecerat, ita multo plus in veſicâ diuturniore ſuâ morâ facit. 7°. Morâ urinarum quas, aut in plevi, aut in uretere, aut in veſicæ orificio, ne pertranſeant, intercipit calculus. 8°. Calculi in ipsâ urethrâ interceptione. 9°. Calculi ſeceſſu in cyſtidem, quam pondere ſuo alicubi in veſicâ format, ita ut quodammodo extra veſicam in oblongato ſacco hæreat, atque pondere veſicam, irritatione circumjacentes partes continuò vexet. 10°. Fragmentorum corticis calculi ſeparatione, expulſione.

Sed ipſæ hæ dolorum cauſæ, itidem difformitatis ſingularum urinoſi ſyſtematis partium ſunt origines. Morâ enim, & motu, & acritate, aſperitateque, omnes membranaceas haſce nerveaſque partes rodit calculus, vellicat, inflammat & excoriat; in tumores prætereà, aut duros,

aut purulentos convertit; tandem calculo urinam intercipiente, urina eam, quâ moratur colligiturque partem, extendat necesse est: annosus verò vesicæ hospes calculus, si sphincterem raró obturat, vesicam irritando sic contrahit, ut hæc demùm coarctata & incrassata calculum circumplectatur, nullumque ultra vacuum colligendis morandisque urinis admittat. Multa talia vidi, aliqua cum publico communicavi, plura si vitam DEUS viresque conservet communicaturus. Intereà nonnulla æri incisa lectori hîc exhibeo.

Adolescens cujus historiam *Rat. Med. Tom. I. a pag. 78 ad 83*, dedi, omnia quæ præfatus sum, in se expertus est. Vesica dudùm ad calculum accommodasse se ita videtur, ut colligendo lotio spatium ademerit omne; nam quod in tabulâ spatii superesse videtur, id nostra vesicæ perpendiculata sectio effecit. *Caput I. Casus I. Tabula I.*

Itaque guttis paucis furtim ex ureteribus juxta calculum eosdem ferè obturantem, per vesicæ orificium mictis, ante vesicam in ureteribus, pelvibus, papillaribusque corporibus, lotium stetit omne: eo autem, quandiu renum secretoria organa adhuc agere potuêre, in hisce partibus paulatim copiosiore distendi, ampli-

ficari, atque etiam elongari easdem oportuit. Intelligitur sic cur ureteres, cùm elongare se in sublime non possent, sedem elongati canalis ad latera quæsiverint formamque intestinorum volvulosam æmulati sint. Erant autem ureteres toto hoc tortuoso itinere cum peritonæo, lumbos succingente, uniti forti membranâ cellulosâ. Hoc in reliquis exemplis sequentibus ampliatorum elongatorumque ureterum modo eodem invenimus. Quod quam ob causam fiat paucis inquiramus.

In sano homine, aut subitâ, aut brevi morte enecto, viscera cuncta liberrima hærent, citra vel nimiam præternaturalem vicinorum cum vicinis cohæsionem, quia transpiratione *hippocraticâ*, seu *sanctorianâ*, perpetuò manant. Hanc verò ubi aut obstructio in morbis lentis, aut inflammatio in celeribus interceperunt, pars parti accumbens connectitur, productis sæpè connectentibus fibris, aut membraneis, aut cellulosis, aut etiam verè carneis. Vide in indice *Rat. Med. in litt. A*, *tit. Anatomes*, hujus observati exempla plurima. Homini in nosocomio mortuo, qui & humerum longè breviorem, & in medio osse humeri pseudartron habere visus in vitâ fuerat, invenimus os humeri quondam fractum, a chirurgo

quopiam adeò perversè repositum, ut semidigiti longitudine juxta se pars fracta quæque mutuo jungerentur accubitu, ope fibrarum crassarum, quæ suâ longitudine ac flexilitate articulationem mobilem mentiebantur. In fracturâ colli ossis femoris, ejusque integri rariore luxatione extra acetabulum, similia fibrarum ligamentosarum, articuli mentientium speciem, passim reperimus.

Tandem ineptis ad secretionem redditis renibus, urinæ materies in sanguine manet, & febre soporosâ, nec raró convulsivâ, ægrum è medio tollit. Sic huic adolescenti, sic singulis, quorum corruptum urinosum a calculo systema tabulis sequentibus exhibemus, contigit.

§. II. Pistoris nostri historia & anatome ferè recidit eodem. Annis 22, calculi martyr fuit. Urina frequens, pauca semper & sæpè, nisi æger decumberet, impossibilis. Lumbis, ureteribus, vesicâ, urethrâ multùm doluit. Gluten non minus fœtidum quam ponderosum, toto hoc tempore passim cum suo pauco lotio reddidit. Et cum omnibus hisce ærumnis crevit corpus in proceram staturam. Tantâque cum universorum humorum cacochymiâ sanguis bis paucis ante obitum ob febrim inflammatoriam missus, rapidis- *Caput I. Casus II. Tab. VI*

ſimo jactu exſiliit de venâ moxque cruſtam verè πλευριτικοτάτην formavit. Lithotomia decreta fuerat; aptiſſimi verò huic operæ viri intrare in veſicam neque omni genere quidem catheterum, nec conductore potuêre; manſitque impoſſibilis res, toto triduo, quod homo adhuc vixit, quæ adhuc pridie tentatæ ſectionis poſſibilis ac commoda fuerat.

In hoc juvene calculus in rene & in veſicâ fuit, utro verò in viſcere prior, in incertis eſt; ſaltem quarto ætatis anno jam calculum minxit, & ſymptomata calculi veſicæ perpeſſus eſt.

Calculus irritaſſe veſicam ſuam vehementer videtur, inque tantam cùm craſſitiem, tùm parvitatem redegiſſe. Veſicæ craſſitudo videtur ureterum intra veſicam exitum ſenſim coarctaſſe, ut paulatim minùs, poſterioribus verò ſeptimanis guttulæ paucæ duntaxat mingerentur, & ſecreta in dies urina ureteres paulatim, dein pelves, tandem corruptos renes ampliaverit.

Calculus veſicæ ſæpè ejuſdem orificium occluſit, eo verò, indè reſupinante ægro, remoto, urina ſuppreſſa proſiliit; in erecto corpore calculus à fundo veſicæ in orificium relapſus, mictum ferè omnem ſtitit.

Gluten calculoſorum mirabile quid eſt,

nec glutini in reliquis corporis locis ſimile. *Vid. in Indice*, quid variis in annui operis locis de hoc glutine experti, & commentati ſimus.

Sed hæc veſica catheterem commodè admittens, pluriesque in die olei lini injectionem, cur omnem negavit calculum ſecturis aditum? Hoc ſubita inflammatio urethræ, & veſicæ orificii, proſtatarum, circumpoſitorumque muſculorum efficere poteſt; hoc & ſpaſmus: cùm verò inflammatio nulla hîc inventa ſit, ſpaſmum, ſeu tetanum ſphincteris veſicæ hujus in cauſam ſtatuendum eſſe neceſſe eſt: qui tetanus quandiù in vivo homine perſiſtere, quotque etiam aut horis, aut diebus ſupereſſe a morte poſſit, vide experimenta noſtra indicata *in Indice*.

In tantâ cacochymiâ notemus corporis incrementum in proceram elegantemque formam: ſic ut morbus dudùm ſolius ſyſtematis urinoſi fuerit, citra materiæ acrioris ex eodem in reliquos humores reſorptum: reſorptu demum facto, univerſi corporis cachexiam & cacochymiam facilè naſci debuiſſe intelligimus.

Verùm aliud in noſtris obſervationibus & experimentis, frequens phænomenon manifeſtò confirmatur: ſcilicet in ho-

minis debilissimi, semimortui, summè cachectici atque cacochymici, sanguine bis misso, inflammationis summæ, quæ in homine mox antea sanissimo, & validissimo attritui adscribi solent, signa testatissima. Vid. *Indicem* sub titulo *sanguinis*. Confirmabit idem historia mulieris hydropicæ in *Cap. IV*.

put I. sus III. bula III. g. 2, 3, medio bulæ.

§. III. Ferè consimilis est historia prioribus: renes magni, ampli ureteres, calculi verò renis solius, nullus vesicæ. Undè cùm data in prioribus causa amplificatorum ureterum, pelviumque renalium a calculo vesicæ locum non habeat, ea quæritur, quæ idem hîc phænomenon genuit causa? Et hæc, & §. V secutura historia evincunt plures hujus esse, præter vesicæ calculum, causas. Sanguis in hæmorrhagiâ renum non tam rapidè per tortuosam viam suam inter vesicæ membranas subire vesicam potest, quam à rene sæpè in ureterem infunditur: undè in grumos concrescat necesse est. Urina postliminio secreta, unà cum trombo amplificat canalem; causaque iterata pluries, demùm fibras orbiculares ita effeminat, ut contrahere se nequeant ultra. Adde puris enormis per inferiora secessum: hoc enim & copiosum, & sæpè crassum, viam obturare, causamque amplificati canalis ponere debuit.

Verùm eidem homini alter ren nec pus habuit, nec calculum, & ureter ejus, licèt priore minus, aliquantùm tamen dilatatus præter morem fuit: quæ demùm hujus cauſa? Difficilior hîc reſponſio eſt: ſin tamen conſideremus hominis hujus renem dextrum lapſu annorum urinæ ſecretioni ineptum redditum fuiſſe, ac proindè renem ſiniſtrum utriuſque debuiſſe munere fungi, an abundantior lotii excretio extendere ſæpè ſuum ureterem non debuerit? Præſertim ſi & trombi, & pus craſſum, aliquantiſper in veſicâ morando, exitum ureteris ſiniſtri in veſicam obturarint? Notemus tandem hîc a mali principio, ad ejuſdem per letum finem, annos 32 elapſos eſſe.

§. IV. Ex datâ hiſtoriâ cap. I, conſtitit calculoſum morbum perantiquum fuiſſe, cùm elapſis 17 ante mortem annis calculum minxiſſet matrona, & a quot retrò annis renum laboraſſet dolore ac pondere vix meminiſſet. Hîc denuò advertimus in calculosâ ac purulentâ diatheſi ſyſtematis ὐροποιητικȣ corporis toroſitatem, adipiſque abundantiam. An igitur id, quia venæ nil ferè aut acrioris urinæ, aut corrupti puris, reſorbeant? Et an ab ejuſmodi demùm reſorptione hecticæ febres & mors? Hæc verò mulier non unâ hac

Caput I. Caſus I. Tab. II. Fig. A, C, D, E.

causâ mortua est. Et anevrysma cordis, & formidandus ad pericardium adeps, functionem extinxêre vitalem. Quæri posset, num calculi hi à fabricâ papillari, & pyramidali renum, multiformem suam figuram mutuarint? Minimè cum renum structurâ convenit, si cum *Eustachii* rene *excarnato*, ut vocant, calculorum forma conferatur: quin & in eâdem hâc tabulâ excusi calculi casus III, aliam omninò figuram adepti sunt.

put I.
sus V.
b. VI.

§. V. Capite I, Casu V, demonstrata renis depravatio a pure fuit, illis qui a calculo priùs demonstratæ fuerant, partim similis, partim multo deterior. Renis sinistri calamitas viginti annis hominem torsit, & simulatâ subindè sanitate, graviùs leviùsque passim afflixit. Materies intermittentis febris, aut non cocta, aut in vasis angustioribus, quam quibus traduci posset morata, leviorem renis inflammationem ac suppurationem formasse videtur; renis autem parenchyma pure sensim erosum, in ulcus conversum, tantam sæpè puris copiam per ureterem suum ad vesicam misisse, ut per ejusdem ad vesicam exitum traducere citò omnem non posset; adeòque repetita sæpè hâc retardatione ureterem sensim sic amplificasse, ut haud minus hic distentus appareat, quam a

calculo priores. Quin & puris crassiores portiones, exesaque renis ramenta obturare aliquandò ureteris finem debuerunt. Ren demùm pure sæpè oppletus, & superiore haud minus, quam inferiore parte erosus & excavatus, materiem ultra non habuit, quam pus acre eroderet, undè rene monstroso supernâ parte cum diaphragmate dudum unito, (quale quid supra jam vidimus non perspirantia viscera passim moliri) pus ipsum diaphragma erosit, eoque penetrato, ipsum ferè totum lobum sinistrum pulmonis, superiorisque lobi partem consumpsit; sic ut unicus saccus pollices *Viennenses* decem longus, tresque circiter latus, putrido pure plenus hic inveniretur.

Quam extraordinaria iterùm hîc purulenti pulmonis, phthiseosque putridæ causa! Cùm in ipso magno sacco pus fœtidum apparuit, non miramur pure hoc, exesis bronchiis resorpto, sputa haud minùs quam lotium oluisse.

Prospectus hujus tabulæ omnia miranda autorum explicat, qui & hepar, & intestina, & ventriculum in thorace invenerunt. Ipsum diaphragma inflammatum, & suppuratione, vel foraminulo patulum, multam intestinorum molem transmittere, ut annulus parvus abdominis in herniâ po-

teſt. Hepar naturaliter cum diaphragmate unitum, ſi ſuppuratione perforatum diaphragma fuerit, locari intra thoracem, parte ſaltem ſuî, poteſt. Et cùm pulmo in hoc caſu anxietate, tuſſi, ſputo purulento, aliiſve afficiatur ærumnis, veram harum cauſam in vitâ perpetuò ignoremus neceſſe eſt.

Caſus VI. Tab. IV. Figura II.

§. VI. Peripneumoniam ſuppuratam vidimus ulcere ad ipſa inferiora thoracis externa integrè curari, pure omni per hanc viam egreſſo & conſolidato pulmone; idemque conſpeximus in puellâ, nato ejuſmodi ulcere ad criſtam oſſis ilei. Ulceribus ad inguina, vel ad tibias *Hippocrates* notat curam hujus morbi obtineri; ubi verò peſſimo omine pus coxe articulum petivit, advertit ille ſubitò ejus abſorptionem fieri, aſſumi a renibus, & totum cum urinâ craſsâ, albâ, & dum redditur jam turbidâ ſic eliminari, ut redeat integra ſalus. Juvenis noſter de quo hîc agitur, haud ita felix fuit. Pus a pulmone ad pleuram affixo pleuram eroſit, atque ope celluloſitatis varias corporis peragravit regiones, acrimoniâ ſuâ tunicam celluloſam exulceravit, puris & magnam evacuationem per tot ulcera externa fecit, & ſimul multâ ſuî parte reſorptum, partim pulmonum ſputis ejectum fuit,

partim letalem febrim hecticam generavit.

Renes porrò, non quod ad morbum quid fecisse credam, sed quod, ubi de vitiis urinosi systematis hoc totum caput agit, locus oportunior non sit quo singularis hæc eorumdem fabrica describi, tabulâque depictâ exhiberi posset, hìc exhibeo.

§. VII. Ut systematis urinosi vitia quædam, Caput I demonstraverat, sic ea systematis intestinalis Cap II dedit. Orditur a notabili historiâ descriptâ *Rat. Med. Parte VII, Cap. IV*, quæ tota meretur legi, ut & anatome historiam morbi elucidet, & morbus anatomen. Confirmavit anatome ea exempla, quæ laudato mox *Parte VII, Cap. IV*, ex Bibliothecâ Medicâ collegi: ac 1°. quidem loca inflammata inter se coalescere, ut hìc intestinum ileum cum peritonæo. 2°. Inflammatione in suppurationem conversâ, in hoc coalitu mutuos consumi parietes, & pus ad exteriora per texturam adiposam, cellulosamque, vel eodem in loco, vel in longè dissito formare tumorem. 3°. Tumore in eodem loco, ut hìc, aut arte, aut naturâ patulo, aditum in ipsum viscus affectum patere, ipsumque id directè per exteriora pure exone-

Caput II. Casus I. Tab. IV. Fig. ult.

rare ſe ſuo. 4°. Inteſtinum ileum hîc loci ſuppuratione conſumtum, adeòque apertum fuiſſe, & ſua, cùm ſemicocta alimenta, tùm ipſa fœculenta pepuliſſe foràs. 5°. Proindè ipſam ſtercoream materiem in inteſtino ileo jam formari, cùm per hoc foramen prodierit abundè. 6°. Multa minus benè & in ore manſa, & nec in ventriculo, duodeno, jejunoque digeſta, demùm intra trihorium cruda atque immutata, in ilei inteſtini cavo deprehendi. 7°. Ideòque difficilem adeò eſſe ejuſmodi aperturæ conſolidationem, ut frequenter per omnem poſtmodùm vitam maneat hîc factitia anus. 8°. Mulierem noſtram feliciorem quidem ob integram ulceris conſolidationem fuiſſe; evitari tamen in eâ inteſtini cum peritonæo integumentiſque cohæſionem, concretionemque, non potuiſſe. 9°. Ileum eo in loco anguſtiorem eâ de causâ fieri. 10°. Ad hunc angiportum dura, nec coctibilia alimenta morari & vel morbum ileum generare, vel in dilatato nimium ante angiportum inteſtino appendices, atque ramices formare. 11°. Confirmari hoc exemplo, quod de ſubitâ inteſtinorum in gangrænam converſione, meris cùm aliorum, tùm propriis meis obſervationibus, *Parte XIV, Sect. I, Capite III*, demonſtraveram.

12°. Hanc gangrænam, eamque pessimam, latissimamque, & herniosam constrictionem solvere potuisse, & tympanitide monstrosam intestinorum, factitio aëre, reddere molem. 13°. Post ejusmodi aperti intestini curam, diætam prudentem ac salubrem, sicubi unquam, necessariam esse; ne ab excitante causâ vel levissima prædisponens causa excitetur, ileumque morbum forment unitæ.

§. VIII. Casus alter Capitis II, stupendam introsusceptionem intestini ilei refert spectatoribus, quam *Tom. I, Rat. Med.* descripsi. Fortè explicatio ibidem data vera est; fortè dudum ante letum introsusceptio adfuit, nec multùm nocuit, cùm, parte superiore intestini introsusceptâ, & ad introsusceptionis finem apertâ, chylus commodè potuerit a C ad secundam B, adeòque ad reliquam liberam intestini partem pervenire. Stylus enim commodè per interceptam partem ad usque finem penetrabat se, licèt vermes eamdem coarctarent. Hi porrò si in vitâ se ita circumflexissent, partemque susceptam constrictione imperviam reddidissent, letalem ileum effecissent. Hanc demonstrationem iteravi pluries auditoribus meis: servo enim volvulos ejusmodi plures, imò duos tresque in eodem cadavere repertos,

Caput II. Casus II. Tab. II. Fig. 1, 2, 3.

dum intestinorum functiones ad mortem usque illæsæ fuissent.

Cap. II. Casus III. Tab. IV. Fig. super.

§. IX. Ex brevi enarratione in *Cap. II, Casu III*, factâ, constitit ægrum vitam suam 30 & ultra annis protraxisse purgantibus; quibus carere se non posse tristi experientiâ didicerat, præcipuè quandò objurgantibus medicis, quod naturalem desidendi conatum deleret frequentia purgandi, horum usum vel tantillo distulerat. Videtur demùm præ convulsione, foramen cœci intestini coarctante, ab iliaco morbo, in *miserere meî* terminato periisse. Quam abscondita & conclamata causa morbi! Mirum autem hoc peculiariter habuit, quod ilei intestini paucam, coli plurimam fecem bona copiosaque bilis aptè tingeret, ad usque suum flexum lienarem: indè verò angustissimum plus pedis longitudine redditum idem colon meram albam materiem, sebi, & hinc indè bolaris terræ in modum contineret. Hæc verò cur alba, cùm bilis flava, eaque multa, excrementa probè tingeret usque ad hanc intestini angustiam? An forsitan multa clysmata lactea, aut albi cæteroquin coloris, in ultimo morbo injecta fuêre? Cùm ultimis diebus ad consultationem vocatus non fuerim, sed ad anatomen tantùm, quid gestum, adhibitum-

que fuerit ignoro. An verò in hâc contractâ intestini parte sic mutata esset glandularum intestinalium natura, ut pro smegmate vix colorato, albam secreverint materiem? Hæcque ideò nunc alba, quod ultimis diebus excrementa flava hâc viâ, haud amplius transierint? Dat igitur hæc anatome causam colicæ, vomitûs, alvi deficientis, & repetentis crebrò ilei morbi, annosissimam ceterisque causis rariorem.

§. X. Ilei morbi causa in intestinis reperitur ubicunque locorum. *Partibus X & XI* pluribus tabulis hoc notavi, idque in colo intestino præprimis. Homo, cujus valvulam tulpianam *Tomo XI* in ultimâ tabulâ depinxi, sedem annosioris sui morbi iliaci ferè eamdem habuit, quam, cujus nunc in colo repræsento, tornionis. Sæpiùs in vitâ insultum tales patiuntur morbi, ubi cruda & indigestilia ejusmodi opplent angiportus. Sic hic, sic ille homo, de quo *Parte XI*, sic etiam vir cujus mox foramen parvum pro valvulâ coli conspeximus, sic tandem mulier cui intestinum apertum in inguine fuerat. Minima peccata in diætâ graviter luunt, & tandem anxiâ morte solvunt. *Caput II. Casus IV. Tab. VIII. Fig. 2 & 3.*

§. XI. *Primò* notamus in hâc anatome hepatis modicam molem, & naturalem mollitudinem, quod idem viscus, septem *Caput II. Casus V. Tab. VIII. Fig. 2 & 3.*

ante obitum annis, & molis enormis, & lapideæ duritiei deprenhenderamus, viridisque, ac penè nigrescentis, icteri diuturnioris causam inveneramus. Quis tantam nobilissimi viri emendationem sperasset, annorumque quinque salutem? Consequitur indè id, ut spem ferè nunquam abjicere totam debeamus, gnari quid exposita in *Cap. II, Casu V*, methodus, favente Altissimo, effecerit. *Secundò* autem depravationem coli intestini rectique tantam invenimus, ut enarratione nemo eamdem capturus esset, ni adjecta figura explicaret. Eâ verò inspectâ, intelligitur mox cur postremo vitæ anno alvus, non nisi purgante, eoque variato, solvi potuerit? Nimirùm propter tot coarctationes, dilatationes, sibique mutuò implicitos, atque hinc succubos, hinc incubos flexus. Capitur cur in ileo sinistro alvum retardari, eamque brevì futuram globorum fœculentorum, se per coli angustiam, ad M. succubam, promoventium motu præsciri oportuerit? Ipsa figura hoc docet. Equidem mutata sæpè per motum intestinorum hæc intestini in intestinum ad M. compressio fuerit necesse est; sed causæ huic ferè pares in colo alibi erant, ut alvus vix mobilis esset; & postremo vitæ tempore quo æger ex ileo sinistro futuram alvum

alvum prænoſcebat, videtur ad M. compreſſio fuiſſe perpetua. At monſtroſa recti inteſtini amplitudo quam cauſam agnovit? Quam tantus etiam ſphincteris hiatus? An infortunata, ſive veræ, ſive putatitiæ fiſtulæ ſectio, quod etiam dexterrimis chirurgis quandoquè contingit, hîc plus læſit, quam conſolidari poſtliminio potuit? Admirationem excitat recti inteſtini hic ad vivum delineati immenſa capacitas, dùm retardari in eodem fœces, ano ad pollicem integrum perpetuò hiulco, minimè potuerint. Profectò a fœcibus retardatis tanta non eſt nata capacitas. Morbidum toto tractu colon dilatatione, coarctatione, ſerpentinoque flexu, propagavit in rectum uſque vitium dilatationis, & tunicæ villoſæ ac rugoſæ depravationem. Præterquam quod ſingula quæque pars in corpore humano humorum, aut affluxu, aut morâ mirificè degeneraſcere, idque alio in aliis atque aliis modo, in cadaveribus frequenter reperiatur.

§. XII. Alius iterùm modus difformitatis coli, per ſe apti nati ad numeroſos morbos colicos, iliacos generandos, tum thoracem arctando dyſpnœas, ventriculum premendo irritandoque vomitus, cardialgiam, &c. dolores lumborum per coli in dextrâ reflexum. Quid porrò ho- *Caput II. Caſus VI. Tab. VIII. Fig. I.*

rum homo ſuſtinuerit ignoramus, cùm eumdem ante privatum deſperationis patibulum nunquam vidiſſemus.

Caput II. Caſus VII. Tab. IX Fig. I.

§. XIII. Figura hæc coli ad B, C, D, G, F, K, M, occaſionem frequentem præbere oppletis inteſtinis debuit, colicæ clauſæ, ilei, lumbaginis, flatûum per ſuperiora enormium &c. Verùm æquè parum, quid huic, quam quid proximè priori in vitâ contigerit novimus, ejus cadaver non niſi poſt laqueum voluntarium nacti. Operæ pretium duxi tamen monſtroſum hoc utrumque colon æri incidi.

Caput II. Caſ. VIII. Tab. IX. Fig. 2. & 3.

§. XIV. Inſpectâ hâc figurâ cùm inteſtinorum, tùm ventriculi, non erit ſymptomatum morbi quærenda è longinquo origo. Hanc primùm quæro in jecinoris immenſitate. Cùm tantæ molis viſcus æquè ad anteriora ventris, quam ad tergum, ſenſim ventriculum, pancreas, inteſtinaque omnia, ad ima ventris depreſſerit; ventriculum deprimi & œſophagum multùm elongari neceſſe fuit: quam elongationem dudùm in cadaveribus experti, poſtmodùm, magno opere immortalis *Morgagni* luce donato, confirmatam vidimus. Depreſſa inteſtina ſub umbilico, eaque multùm aut chylo, aut aëre, aut fœce diſtenta, horum per ſuum cavum

tranſitum retardarunt, aditum novo chylo negarunt; undè quæ ventriculus dein recepit, ſi pauca, ſeriùs; ſi multa, ocyùs vomitu debuit ejicere. Undè etiam monſtroſam formam induere inteſtina oportuit; quam ſolius coli hîc exhibemus. Difficilis mulieri, eaque perpetua deglutitio, ab œſophagi longitudine petenda eſt: aliquandò enim per varium inteſtinorum motum, erecto præprimis corpore, œſophagus valdè extenderetur, angereturque oportuit: jacenti verò, cùm totum inteſtinorum cum hepate pondus versùs ſuperiora devolveretur, relaxari œſophagus, inque inteſtinalem formam volvi debuit. Utroque in caſu difficilis deglutitionis ratio erat manifeſta. Undè etiam qui vomitus ad minima quæque deglutita obſervabatur aliquandò, a difficultate vel per volvulos œſophagi relaxati, vel per ejuſdem diſtracti arctitatem in ventriculum perveniendi, oriri debuit. Novam hîc accipit pathologia læſæ deglutitionis cauſam.

Caput II. Caſus IX. Tab. IX. Fig. IX.

§. XV. Dedi hujus mulieris, cujus ventriculum *Tab. IX, Fig. IV* refert, hiſtoriam *Parte XIV Rat. Med. a p. 46 ad pag. 53.* Ventriculi hujus depravationis cauſa hepar fuit utroque lobo epigaſtrium replens, & inteſtina craſſa infra

umbilicum, etiam in jecorario ac ſplenico flexu deprimens. Contenta indigeſta angiportus in medio ventriculo haud facilè admiſit ſæpè, & appulſu eorum irritatus, ſpaſmodicèque convulſus, vomitum debuit ciere. Quæ ceterum ex anguſtiâ hâc in latum collecta fuêre, non rarò in libero inter utroſque lobos jecinoris ſpatio, ab incumbente hepate impedita fuerint, ne pylorum peterent, neceſſe eſt: adeòque accumulata & retardata, vomitum iterùm excitare debuerunt. Ipſe demùm pylorus inter tumidius colon, ipſumque jecur comprimi potuit, ne quid tranſmitteret; quæ tertia vomitus hîc cauſa.

Omnes hujus ſecundi capitis caſus numero novem, quàm varias, quàmque multiplices continent cauſas vomitûum, cardialgiarum, colicarum, flatibus, materiâ, compreſſione, inflammatione oriundarum? Quot cauſæ rarioris, imò potiùs deficientis alvi! Quàm frequentes ilei morbi, ejuſque repetentis, ac demùm occidentis fontes! Interim hæ omnes ejuſmodi morborum origines ſignis carent pathognomicis, ut eaſdem ne vix conjectando aſſequamur. Imò haud rarò in cadavere deteguntur, dum eorum, quæ gignere ſymptomata neceſſariò in vitâ

debuiſſent morborum, aut parùm, aut nihil, incomprehenſibili naturæ ordine, generent.

Ars profectò noſtra inepta ſæpè ſtat ad ſimiles ejuſmodi morborum cauſas. Quò frequentiores in luſtrandis cadaveribus ſumus, eò cauſas morborum atque ſymptomatum & numeroſiores, & inſuetiores detegimus, crebreſque tales, quas pathologia morborum cauſis necdum adſcripſit. Præstereà & per exempla hæc & per præcedentia, perque univerſam hiſtoriam medicam, magis in dies magiſque convincimur morbi cujuſque diverſa ſymptomata rectè ab eâdem origine raró quæri; cùm in cadavere vix unquam unica modo pars, ſed plures plerumque ſimul afficiantur. Eſtque hæc toties iterata *Morgagni* in eos animadverſio, qui hydropem pericardii, hydropem thoracis, ac varia cordis majorumque vaſorum vitia, determinare in vitâ, ægrorum certò ſe poſſe arbitrantur. Viſcera utique, ſingulæque corporis humani partes, ſignis affectûs ſui pathognomicis perſæpè carent, ſignaque diverſa, imò oppoſita non perraró habet idem origine morbus; & qui morbi forſitan, ſi ſoli adeſſent, genuinis ſignis haud penitùs carerent, jam partibus pluribus affectis, ſic inter ſe mutua ſua ſigna confundunt, ut

principiis morbi non nisi quamdam probabilitatem relinquant.

Caput III. Casus I. Tab. V. Fig. I.

§. XVI. Praxi utilem duxi geminæ historiæ *cystici hydropis*, cujus utriusque dubiam indicationem rogo ut lectores mei adjicere ad illa dubia velint, quæ *in Indice ad litteram H* indicavi. Ut autem eum priorem tradam, cujus saccus tabula hîc ad marginem indicata, unà cum morbi historiâ descriptus ac delineatus fuit; notabo primùm fluctuationem in cystico hoc hydrope tam ante priorem, quam ante posteriorem paracentesin, haud secùs a nobis, quam ab ipsâ ægrâ, perceptam adeò manifestam fuisse, ut in vero ascite nunquam manifestius. Et cum vires minus valentes, catameniorumque cum incepto morbo adesset defectus, quæ duo in cystico hydrope rariùs deficere observantur, ascitici, quam cystici hydropis tumor similior erat. Asciten tamen ne certò certiùs pronunciaremus, vetuit dolor, qui unà cum cessante menstruo fluxu ad inguen dextrum nasci ceperat: vetuit junctus deindè dolori tumor: vetuit & tumoris ac doloris, lentum primo alteroque anno, subitum anno tertio incrementum; sic demùm ut universum expleret abdomen. Undè vel in tubâ dextrâ, vel in ovario dextro sedem

originemque mali ſuſpicari facilè quis potuiſſet.

Ambigua ergò diagnoſis fuit, quæ ſignis quidem poſterioribus hydropem cyſticum, prioribus autem aſciticum indigitans, dubiam prognoſin, dubiam indicationem, dubiamque curationem poſt ſe reliquit.

Porrò quamvis libro ſupra laudato exemplis ſanè non paucis edoctus, ſtatuiſſem in aſcite, quam in cyſtico hydrope, tutiorem paracenteſin eſſe, imò leti maturioris in cyſtico effectricem eſſe accuſaſſem; nihilominùs illam in hâc feminâ ſuadentibus aſſenſui; & quidem *primò*, quòd ab internis auxiliis in dies pejorante morbo ad valentius, ſi quod daretur, confugiendum auxilium eſſet, antequam vires magis conſiderent. *Secundò*, quòd argumenta teſtantia aſciten iis eſſent, quæ cyſticum hydropem inſinuarent longè fortiora. *Tertiò*, quòd experimentis acceleratæ à paracenteſi mortis cum iis aliorum collatis, prognoſis funeſta mea multùm mitigaretur; binis recentioribus extantibus exemplis fortunatæ admodùm in cyſtico hydrope paracenteſeos. *Quartò*, quòd aliquandò cyſtico hydropi jungatur aſcites; cujus evacuatâ lymphâ, cyſticus faciliùs toleratur. Morte nihilominùs, eâque celeri, ſequente,

dolui repetitas meas experientias denuò tristi hoc exemplo confirmari, deque industriâ evulgo id, ut vel in pene certo, vel in dubio hydrope cystico, aliquantùm ad easdem attendatur.

Alter hydrops cysticus mulieris erat, quæ post laboriosissimum in 45 anno ætatis partum in eumdem lapsa, demùm anno hydropis sui 23 me petitura consilium convenit. Asciten quidem fluctuans percussione abdomen innuebat; at verò cùm & prava signa inveterati ascitis deessent, & hydropis cystici facilè tolerati, ceterasque functiones vix lædentis, bona signa adessent, huncque mulier 23 annis ferè inculpatè tulisset; non ob unicam fluctuationem asciten, sed ob plura alia signa, & cysticum eum esse conclusi, & sex annorum spatio quo talem palliavi. Tandem hydrope intercute corporis universi adjuncto periit. Elapsis 25 a morte horis, cadaver aperui.

Hydrops intercus in putredinem conversus in bullas solverat, ubiquè ferè, epidermida. Ut interiora paterent, eduximus paracentesi 86 libras, exactè mensuratas, non fœtentis aquæ, sed mucosæ, ac colore subfuscæ. Saccum formabat exteriore suâ tunicâ ovarium dextrum, idque scirrhosum. Solito tenuior saccus erat,

in anteriore ac ſuperiore parte perquam tenuis, & cum peritonæo anteriore arctiſſimè concretus.

Intelligitur ergo, cur cyſtide hydropici aliquandò eam exhibeant quæ aſciticorum eſt fluctuationem. Vel tenuis ſaccus eſt ut motæ percuſſione ſacci aquæ, in admotam percutientis medici manum facilè redundent; vel in aſcitis undâ ſaccus natat.

Ad ſaccum accreſcens fallopiana tuba cum eo creverat 13 pollicum longitudine, & a principio ad finem tota pervia, in priore feminâ, in poſteriore verò adnata quidem marſupio eodem modo inveniebatur tuba, ſed brevi itinere, & deſtitutâ cavitate. Poſterius hoc facilè capimùs; prius minus. Adnaſcens ovario tuba extenditur plus minus cum illo, & in peritonæum perpetuò preſſa complanatur ſic, ut cavitas mutuo laterum tactu deleatur. Sic lege ordinariâ fiat ſemper oportet. Cur ergo in priore feminâ, & in tantam longitudinem crevit, & ſine liquore intùs diſtendente potuit in perpetuâ compreſſione ad peritonæum cava manſiſſe?

§. XVII. Aneuryſma, ceu herniam vides auriculæ cordis ſiniſtræ notabilem, muſculoſam; quæ ſi vita fuiſſet longæ- *Caput III. Tab. V. Fig. II.*

vior, fore ut immaniter augenda, actionesque vitales turbatura fuisset, jure suspicamur. Cuinam verò ad vitalium partium labores ejusmodi causa in mentem veniret?

§. XVIII. De demonstratione ductûum hepatico-cysticorum satis in tabulâ explicandâ dixi. Ictero explicando inserviunt. Hos olim viri clari descripsêre: cùm aliquandò difficulter detegantur, negarunt alii hosce existere. Adsunt tamen.

§. XIX. Suppetit denuò hic tractatus notabiles duas historias sanguinis cùm impetuosè de venâ exsilientis, tùm summè pleuritici, unà cum febre magnâ, duroque ac celeri pulsu, in hominibus, vel lentis calculi tormentis, vel extenuante paulatim hydrope, mortis ad limina ductis. Quid acritates, quid venena, ubi admista humoribus sunt, non possunt! Quam ingentem mutationem, quam diram inflammationem non excitant in vappidis humoribus, in lentis, in aquosis, in solutis, & ab omni inflammatione alienissimis? Idem pluries miratus sum, dum cacochymicorum, chloroticarum, hydropicorum sanguinem a variolarum miasmate in summam ductum phlogosin

cernerem. Meretur hæc obſervatio locum in variolarum ac peſtis malignitate, a quâ diſſolutum putridè ſanguinem eſſe ex præjudicatâ opinione exiſtimamus, eamque ob cauſam illis perperam medemur.

FINIS.


Fig. 1.
A
B
D
E
F
G
A
B
D
D
D
E
Fig. 2.
E
D
H
D
F
G
F
E


Fig. 1.
B
C
A
B
A
A B
Fig 2
A
C
A
Fig. 3.


Fig. A.
B
C
D
E
A
Fig. B.
B
C
A
Fig. C.
B
A
C
Fig. D.
A
Fig. E
E
A
D
C
Fig. F.
A
B
F. 2.
B
A
Fig. 1.
C
C
A
D
B
Fig. 3.
D
Fig.
Solitaria
A


C
D
D
D
C
A
E
E
A
B
C
C
F
F
E
D


Fig. 1.
F
G
H
I
A
G
F
E
E
D
D
C
B
Fig. 2.




E
D
G
C
F
B
G
A
H
H
H
I
I
K
I
M
L


A
B
C
D
A
E
D
F
H
G
G
M
K
I
I
L
Fig. I.
Fig. 2.


Fig. I.
Fig. II
Fig. III.
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R
S


Fig. 1.
E
I
H
G
F
D
L
R
B
C
M
N
A
O
Fig. 4.
A
B
G
C
C
F
E
G 2.
D
Fig. 2.
D
G.I.
H.
Fig. 3.
L
E
C
K
D
C
B
I
F
N
M
O
A
A
D




A
B
C
D
H
E
K
I
N
M
O
P
G
L
D
C
H
F
E
G.
C
G.
H
A
B
I

APPROBATIO.

ILLUSTRISSIMI Galliarum Vice-Cancellarii juſſu, attentè perlegi *tomum decimum Rationis medendi & partem ſecundam tomi octavi Rationis medendi* ANTONII DE HAEN, eosque cenſui digniſſimos qui typis Gallicis mandarentur. Pariſiis, die tertiâ menſis decembris 1778.

DESCEMET.

ANTONII DE HAEN,
DE MIRACULIS
LIBER.

ANTONII DE HAEN,

S. C. R. A. MAJESTATIS
CONSILIARII ET ARCHIATRI,

NEC NON

MEDICINÆ IN UNIVERSITATE VIENNENSI
PROFESSORIS PRIMARII,
PLURIUM ERUDITORUM SOCIETATUM
SOCII,

DE MIRACULIS LIBER.

PARISIIS,
Apud P. Fr. DIDOT juniorem, ſaluberrimæ Facultatis Pariſienſis Bibliopolam, ad ripam Auguſtinianorum.

M. DCC. LXXVIII.

CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO REGIS.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO EUGENIO,

VICE-COMITI,

S. R. E. CARDINALI

AMPLISSIMO,

ANTONIUS DE HAEN.

Altera jam vice, Eminentissime Ecclesiæ Princeps, medica tibi medicus dico: tùm quòd tam in universâ naturâ rerum, quam in medicinâ,

vehementer delectari historiâ naturali soleas, tùm quòd ipsa historia naturalis pertractari in hoc opusculo non potuerit, nisi scripturâ sacrâ, ac venerandâ traditione, rebus utique fori tui, ducibus. Physicum hunc proindè de miraculis *laborem principiis theologicis innixum, pari jurene dicam an audaciâ? Qua elapso abhinc sesquianno, iisdem principiis elaboratum, magiæ examen, Eminentiæ tuæ dico, dedico, sacro. Videbis, nisi animus me vehementer fallit, me vestigiis presse insistentem* I. M. Lancisii, *viri ingentis, archiatri pontificis, quem ob id ipsum pluries* immortalis pontifex Lam-

bertinus *laudavit, quod in rei cujusque, quam miraculosam perhiberent, examine soleret ad extremos suos limites extendere naturæ vires, facultates, effectus & dotes. Dedicatio ceterum in debitis tibi laudibus concelebrandis æquè sterilis quam prior erit; tùm quod imbellem ad id calamum possideam; tùm quod laudes detesteris humanas; tùm denique quod* B. Paulum, *qui* Gal. 1. v. 24. *ait*, Et in me clarificabant Deum, *imitatus, omne quo polles, quo emines, quo fulges bonum in verum atque unicum ejusdem refundere Autorem soleas. Servet porrò ille in suî gloriam, Ecclesiæque suæ*

emolumentum, te diu incolumen, patiareque, EMINENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, hâc ſaltem dedicatione me quantum tibi debeam, quantique te faciam, publicè teſtari, meque immeritum tuæ gratiæ perpetuò commendatum eſſe velle.

Dabam Viennæ 13 Febr. M. DCC. LXXVI.

PRÆFATIO.

A VIGINTI & tribus propemodùm annis in hac antiquissimâ & almâ universitate Viennensi ad medicinam publicè docendam admotus, ad tres potissimùm fines auditorum meorum animos dirigere intendi. Et quidem primùm ad nobile illud, & simplex, & invariabile naturæ studium, quo prisca ætas medica nostram condidit artem; quo amplificarunt eamdem sequentes ætates; quo verò qui recesserunt, systemata, suique figmenta ingenii secuti, illam pessumdederunt. Hocce autem simplex naturæ studium quanto emolumento ornamentoque institutionibus nostris practicis fuerit, cùm ii testantur, qui iisdem imbuti medicorum jam nomine fa-

mâque clarescunt, tùm complures inclitæ universitates atque eruditorum societates agnoscunt.

Alterum, ad quod discipulorum mentes evehere annitebar, erat morborum difficiliorum, intricatiorum, insolentiorumque demonstratio: quos rarior cognoscendi oportunitas, difficilior frequentandi aditus, illos, ne apto tempore cognoscerent, curarentque, necessaria præpedirent.

Ne qua porrò ipsos, vel illius simplicis atque unius tuti necessariique naturæ studii, vel eximiorum atque insolitorum morborum ulla unquam oblivio caperet, natum eorum in usum meum annuum opus est, cujus XV Partes titulo *Rationis Medendi in nosocomio practico* prostant, cujusque ejusdem operis, titulo *Rationis Medendi continuatæ*, jam alter prodiit Tomus. Ita quidem ut, si non nisi seriores post

annos repeteret caſus, conſervatam habeant memoriam ejuſdem perennem, atque olim adhibitæ opis.

Tertia tandem, eaque magnæ molis ſummique momenti erat res, quam neque in ſcholis, vixque in probatis ſcriptoribus medicis, magno eorum damno erudiri ſolent: morbos illos volo, quorum vel ortum, vel progreſſum, finemve, credulum vulgus, ſive diabolo, hoſti noſtro infenſiſſimo, per ſe, ſive eidem per magos, ſive denique divino miraculo, adſcribere ſolet. Arduum equidem negotium eſt hiſce ſic immiſceri, ut neque ſacratiſſimam religionem lædas, neve ſuperſtitionem nutrias: undè medici, ſuarum partium obliti, ſe temerè hiſce immiſcere metuunt, diſcriminandaque ea theologis, juriſperitiſve, relinquant: at verò ſuo eos officio deeſſe monſtrabor.

Adeant mecum ſapientiſſimum illum ſenatum Romanum, *Sacram Rotam* dictum, videantque a quibuſnam magni viri illi de miraculo conſulti, quo tutò procedant, conſilium capiant? a celeberrimis ſcilicet philoſophis, & medicis: uti hi primùm ex univerſâ hiſtoriâ naturali id ponant in apricum, quidquid ſingulare, & mirabile, terminis abditarum naturæ rerum contineri coercerique cancellis poſſit; exantlato autem hoc labore, ſi demùm propoſitâ in re quid fateri ſacrum hoc Collegium compellatur ſive præter naturam, ſive ſupra naturam, ſive contra naturam reapsè exiſtens, de eo, ut judex competens, judicium fert.

Quæ ſi ita ſe habent, philoſophorum & medicorum eſt naturæ opera intueri, &, quouſque mortalibus datur, capere & explanare; ut cuncta ſint in promptu Theo-

logis, quibus certò ſtatuant, utrum diſcuſſa in tribunali ſuo res vel excedat naturæ leges, vel excedat minimè.

Ut proindè ad tria hæc capita rerum auditorum meorum animos formarem, exorſus ſum ab energumenis, eoſdem intra noſocomium meum ſuſcipiens, diu noctuque contemplans, & cum naturæ legibus id omne, quod in horrendis ſtupendiſque illorum cùm ſermonibus, tùm geſticulationibus apparebat, ſedulò conferens. Notata hæc fuêre *Rat. Med. Part. V & XV;* conſtititque exinde a dæmone obſeſſum ne unum quidem eorum fuiſſe, quos ab illo obſeſſos dudùm, imò complures annos ſtatuerant & credulum vulgus, & vulgo ſapientiores. Iteratis experimentis edoctus, publicè demùm teſtatus ſum, etſi mihi nihil eo certius eſſet, quam quod multi quondam ener-

gumeni extitiſſent, etſi dubitare non poſſem quin hinc indè pauci fortè extarent, tam paucos tamen numero extare Dei beneficio noſtris temporibus, ut vix reperirentur ulli; utque adeò numeroſiſſimi illi, qui nunc *Germaniam* inundent, aut ſimplices, aut vafri homines ſint, quorum ſathanas perſonatus vel ipſis vitam deſidioſam ad tempus conciliet, vel infernalem ſuam aſtutiam atque vafritiem explendi facultatem præbeat, vel theatralem coronam ſycophantis exorciſtis imponat, vel (quod Deus avertat! & in quod eccleſiaſtica politicaque poteſtas invigilet!) credulitatem majorem adeptus, Eccleſiam remque publicam turbare tentet.

Eodem modo res ſe cum Magiâ habet. Et ad eamdem examinandam a ſupremâ poteſtate admotus, ingenuè faſſus ſum me certo certius

ex ſacris voluminibus, & genuinâ hiſtoriâ noſſe, quam frequens foret hæc diabolica ars olim; at verò lapſu ſæculorum in chriſtiano populo (de idololatris alia res eſt) eam per Dei miſericordiam adeò raram eſſe, ut vix veræ nota alicubi, vix probata, vix ſaltem demonſtrata habeatur: ſic ut foret paſſim neganda, atque æquè a foro eccleſiaſtico quam politico releganda, niſi caſu rariore adeò demonſtrata exiſteret, ut de eâ dubitare nemo ſanæ mentis ultrà poſſet.

Et quid de miraculis demùm? Hæc profectò & numeroſiſſima, & eminentiſſima, tam olim, quam hodie Deus ſolus, vel ipſe per ſe, vel Angelorum hominumve miniſterio facit: ut hæc negaſſe, vel negaſſe Religionem perindè ſit. Attamen & hoc ingenuè fateri oportet, ſi principio quid verum, ac propriè dictum miraculum ſit

determinaverimus, accuratèque examinaverimus illa, quæ miraculorum nomine ſæpè me morantur, pleraque falsò ſic appellari. Ita ut, quemadmodum vix niſi paucos energumenos orbis habet, quemadmodum niſi pauciſſimos magos plebs Chriſtiana numerat, ita pauca miracula vera noſtra ætas agnoſcat. Hunc proindè in finem iſtum condidi de miraculis tractatum, quo, dum diſcipuli mei de hiſce conſuluntur, habeant undè reſpondeant. Aſt verò minus forſan placebit multis ejuſdem componendi modus: hos præmonitos velim de variis quæ me ad eum ſic comparandum compulêre cauſis. Prima fuit officium meum, quo ut inclytæ noſtræ facultatis membrum, votum meum in quæſtione de propoſito miraculo ferre aliquoties in virorum illuſtrium conſilio debuerim. Altera cauſa, ut monui, fuit mo-

numentum hoc caris relinquendi auditoribus. Tertia autem ex multiplici meo commercio litterario eſt nata. De miraculis enim, quæ nuperioribus annis *Gallia* celebravit; de novis, ſive miraculis, ſive exorciſmis, qui nunc movent *Germanum Imperium*, ſententiam meam eruditi multi expiſcati ſunt, idque tùm aliàs, tùm quod de miraculis multa haud oſcitanter in *Tractatu de Magiâ* exaraſſem. His verò reſpondendi neque ullum principium, neque ullus finis erat, niſi generalia quædam præmitterem, quibus veluti principiis, fundamentiſque, reſpondendi inniterer. Qui enim eruditis reſponderem, qui, multi Religionis acatholicæ, id pro dicendi principio ponerent, quod vera miracula in catholicâ Eccleſiâ non contingerent, cùm deſiiſſet eſſe Eccleſia Chriſti; quique inter ſe ipſos opinionibus adeò diviſi

erant, ut donum miraculorum alteri alteris denegarent? Cùm igitur singuli hi theologico suæ Religionis principio de miraculis ratiocinarentur, coëgerunt me ut, quo illi jure, eodem ego, juxta theologica meæ Religionis principia de miraculis responderem. Hæc ratio cur fusiùs in hisce theologicis, quam aliàs expectari a medico oporteret, versatus fuerim. Quin & miraculorum conditiones enumeravi eas, non quas ipse per me posuissem, sed quas ipsi illi mihi posuerunt, ne viderer aliquid detraxisse ipsis; ita tamen ut easdem modificari, limitareque, hinc indè cogerer.

Sed præter hos, duplex hominum genus erat, quibus respondendum fuit: alerum eorum, qui miracula in Ecclesiâ cum apostolis, & apostolorum discipulis primis, omninò cessasse contendebant; al-

terum eorum, qui omnia miracula negabant. Quis non videt æquè parùm his & illis, quam prioribus, citra theologica principia ſpondere me potuiſſe? Quemadmodum tempora dantur, ubi quiſque miles eſſe debeat, licet militiæ propriæ non adſcriptus, ita dimicare pro ſacris aliquandò profanos decet.

Sententia mea de nuperioribus in *Galliâ* miraculis operi deeſt, præ monumentorum ad horum diſcuſſionem neceſſariorum, eorumque ſanè complurium, defectu: pars quidem illorum multa meas ad manus devenit, ſed tanta adhuc deeſt, ut ſuſpendere, quam iniquum ferre judicium malim: nemo enim qui ſolo veritatis amore ductus, omni præjudicio vacat, ægrè laturus eſt me & ad omnes, & ad ſingulas hiſtorias, ſic priùs omnes cùm naturæ, tùm medicinæ leges advocare, & adhibere,

quemadmodum in hoc tractatu ad ſingulos caſus propoſitos feci, antequam eas aut negem, aut affirmem miraculoſas eſſe. Nullius autoritatem in phyſicis ſuſpicimus, quandò veritatem unicam quærimus. Interim quouſque perfectum opus eſt, urgentibus amicis, in lucem edo.

DE

DE MIRACULIS.

CAPUT I.

De Miraculi Definitione.

THEOLOGIA propriè de miraculis disserit. Cùm enim utriusque Testamenti pagina, ipsaque Christiana priscorum ævorum historia, ad sacratissimæ Religionis cùm fundamentum, tùm stabilimen miracula quamplurimùm contulisse testentur, theologorum propriè horum examen, horum modus, horum novorum cum priscis comparatio est.

At verò in horum examine haud raro contingit, ut historia naturalis universa enodanda sit, quâ constet, nec ne, an quod fantur miraculum esse, reverà superet naturæ vires. Philosophorum ac me-

dicorum ſententiam tunc explorare theologi ſolent, ab iiſque petere ut, ex notâ ſibi hucuſque naturali hiſtoriâ definiant, an, & quouſquè, dato in caſu, vires naturæ conſcenderit? Hanc ob cauſam jam ter contigit, ut delatâ, atque commiſsâ inclytæ medicæ facultati quæſtione ſocius fuerim commiſſionis. Difficile ſæpè judicium, ambiguitate plenum, & ſive miraculum eſſe negetur, quod tale reapsè ſit; ſive quod tale non ſit, ut tale pronuntietur; periculo veritati, ac ſacræ religionis decori, majeſtatique detrahendi admodùm obnoxium eſt. Undè ſpontè liquet, quo minùs utrinque peccetur, opus eſſe accuratâ miraculi definitione, & juſtâ virium naturæ determinatione.

Miraculi definitionem difficile, ne dicam impoſſibile eſt talem dare, quæ omnibus & ſingulis Chriſtianam Religionem profitentibus ex æquo placeat. Contendunt enim ſinguli in definiendo miraculo ſuam fidei profeſſionem unicè veram, unicè eſſe aptam, in quâ miracula fiant; ſic ut *Arianus* a miraculis *Neſtorianum* excludat; *Eutychianus Monotheletam; Anabaptiſta Lutheranum*. Noſtri temporis clari ſcriptores *Confeſſionis Auguſtanæ* excludunt vera miracula ab Eccleſiâ Catholicâ; imò a ſectis cùm ab ipſis,

tùm a nostrâ Ecclesiâ separatis. Profectò si res sic se haberet, arduum foret ethnicum, vel judæum hominem, Christianæ professionis cupidum, de ejusdem veritate miraculorum autoritate convincere, ubi sectæ omnes miracula clamantes, singulæ singulis hoc eminens donum vicissim negarent.

Quid igitur mihi, hanc de miraculis pertractationem meditanti agendum? Secuti sunt hujus ævi scriptores genium opinionemque suæ quique Religionis: condonare proindè debebunt mihi, in usum catholicorum medicorum scribenti, si eodem, quo illi, jure, de miraculis ea scribam, quæ mea mihi Religio offert; quam eam esse credo, quæ de omnibus ad fidem miraculorumque autoritatem pertinentibus, instructa ab apostolis sit, quæque in nostra usque tempora secundùm hanc apostolicam instructionem judicium de miraculis ferat. Dux mihi hîc *Evangelium* erit; duces suis in Epistolis *apostoli*; duces primævi temporis ac subsequentis patres, historici, theologi, *Justinus martyr*, *Tertullianus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Bernardus*, *S. Thomas Aquinas*, *Estius*, *pontifex Benedictus XIV*, *Galli quidam episcopi & doctores*, *Fleuryus*,

tandem ſidus almæ univerſitatis Viennenſis *P. M. Gazzaniga.*

Certos utique tutoſque duces ſequar, quos, ut in quâcumque quæſtione, ſic & in hâc, ad Eccleſiæ incunabula reflexos video, ut ab illâ naſcente, ac paulatim grandeſcente, diſcant quid tenendum ſit. Maximè verò cùm hæc Eccleſia longiſſimo XXII & ampliùs ſæculorum uſu exercitata, ad ſopitarum dudùm quæſtionum renovationem parata reſponſa habeat, quibus eaſdem ante ſæcula ſolverat, atque diluerat. Juvabit quæſtionis elucidationem, ſolutionemque, maſcula & inflexilis ſeveritas, quâ in admittendis miraculis Catholica Eccleſia utitur; majore utique eâ, quâ aliæ religiones. Enarrare centena miracula poſſem, quæ tanquam vera a multis ventilata, a ſede Romanâ exploſa ſunt. Non potuit abeſſe ſummus pontifex *Benedictus XIV*, quin Acatholicorum hâc in parte laxitatem atque negligentiam taxaret, *Libro IV & ult. de ſervorum Dei beatificatione, & beatorum canonizatione, Part. I, edit. 2. Patavii 1743, pag. 58*, §. 36. En ejus verba: « *Jacobus Serces*, in ſuo *tractatu de* » *miraculis, Amſtelodami edito anno 1729,* » *pag. 343*, per extenſum, ut dicitur,

» refert dissertationem quamdam *Weren-* » *fels*, *de differentiis inter vera & falsa* » *miracula*, quam summoperè commen- » dat. Scribit *Werenfelsius* miraculum esse » illud, quod omnium consensu excedit » vires naturæ, & talem esse pronuntiat » sanationem ægritudinis, quæ unanimi » peritorum consensu superari nequit. » Quod si expurgetur nullo exhibito phar- » maco, ait id inter miracula esse recen- » sendum; si perpauco tempore, inter » majora; si temporis momento, inter » maxima, & plusquam inter maxima, » si dici potest, quoties ob morbi gravi- » tatem & diuturnitatem, æger viribus » fractus, statim perfectè convalescit. » Autores hi sunt heterodoxi, & contra » facilitatem Ecclesiæ Romanæ debac- » chantur in miraculis approbandis. Con- » ferantur, quæso, quæ a nobis in hoc » capite scripta sunt, cum his quæ ex iis » modò retulimus; & nemo profectò » erit qui non fateatur severiorem esse » sedis apostolicæ, & nostrorum episco- » porum indaginem eâ, quam ipsi pro- » ponunt faciendam in examine miracu- » lorum. » *Samuelis Clarkii* & *Lockii* de- finitiones simili laxitate peccant. Vid. *Gaz- zaniga*, *de Revel. V. Test.* §. 99, *in Notâ*.

Miraculi nomine res diversæ intelli-

guntur, quæ non id propriè ſunt, quod hîc quæritur. Quid miraculoſius creatione mundi ex nihilo? Chriſti incarnatione, & reſurrectione? ſacramentorum operatione? peccatorum converſione? Sed hæc ordinis alio modo, alioque ſenſu ſupernaturalis non pertinent ad ea ejuſmodi ordinis, de quibus acturi ad miracula ſumus.

Meritò miracula certo ſenſu multa opera Dei appellantur, eaque ſumma, quæ, quia Deus continuò facit, nos conſuetudine hæc videndi in admirationem haud ultra rapiunt. De hiſce multoties *S. Auguſtinus Tom. IV. edit. Venetæ*, quâ ubique utor, *Tract. 8 & 9 in Joan.* Tùm & *Cap. 6, pag. 638, &c. in eodem Tomo.* Deindè *Tom. VI in Pſ. 90 & 110.* Pulcherrimè verò *Tom. VII, pag. 614*, ubi exponens verba *Ap. Pauli, Cap. I, v. 20, Ep. ad Rom. inviſibilia enim Dei a creaturâ mundi per ea quæ facta ſunt, intelliguntur*, hæc ſcribit: » Quotidiana miracula Dei non facilita» te, ſed aſſiduitate viluerunt. Quid » enim difficilius cognitione, quàm ut » naſcatur homo? moriendo diſcedat in » ſecreta qui erat; naſcendo procedat » in publica qui non erat? Quid tam » mirabile, quid tam difficile cognitu?

» Deo autem facile factu. Mirare ista,
» expergiscere: insolita nosti mirari: ma-
» jora sunt, quàm quæ videre consuevisti?
» Mirati sunt homines Dominum Deum
» nostrum J. C. de quinque panibus sa-
» ginasse tot millia, & non mirantur per
» pauca grana impleri segetibus terras.
» Quæ aqua erat vinum factum, vide-
» runt homines, & obstupuerunt: quid
» aliud fit de pluviâ per radicem vitis?
» Ipse illa fecit, ipse ista; illa ut pascaris,
» ista ut mireris: sed utraque miranda
» sunt, quia opera Dei sunt. Videt homo
» insolita, & miratur; undè est ipse
» homo, qui miratur? ubi erat? undè
» processit? undè forma corporis? undè
» membrorum distinctio? undè habitus
» ipse speciosus? de quibus primordiis?
» de quàm contemptibilibus? Et mira-
» tur alia, cùm sit ipse mirator mag-
» num miraculum. Undè ergo ista quæ
» vides, nisi in illo quem non vides? Sed,
» ut dicere ceperam, quia ista tibi vilue-
» rant, venit ipse ad facienda insolita, &
» ut in ipsis solitis agnosceres artificem
» tuum.» Ergo hæc miranda Dei, quia nostram admirationem vix ultra excitant, quia assueta, non efficiunt id quod stricto sensu vocatur miraculum.

Quid ergo miraculum, de quo quæritur, eſt?

S. Aug. ſub finem laudati mox textûs dicere id cepit: *Quia iſta tibi viluerant, venit ipſe* (Chriſtus) *ad facienda inſolita.* Et clariùs *Tom. X, Libr. de Util. cred. pag. 80. Miraculum voco, quidquid arduum, aut inſolitum, ſupra ſpem aut facultatem mirantis adparet.* S. Thomas Aquinas, I. quæſt. part. 110, art. 4, & quæſt. 114, art. 4: *Ex hoc aliquid dicitur eſſe miraculum, quod ſit præter ordinem totius naturæ creatæ; hoc autem non poteſt facere niſi Deus: quia quidquid facit angelus, vel quæcumque alia creatura propriâ virtute, hoc fit ſecundùm ordinem naturæ, & ſic non eſt miraculum.* Hæc vera & propria miraculi definitio eſt, quam idem S. Doctor explicat *I Part. quæſt. 105, art. 8*, tripliciter aliquid dici miraculum poſſe ſtatuens, « *Uno modo*, inquit, » *quantùm ad ſubſtantiam facti*, ſicut quod » duo corpora ſint ſimul, vel quod ſol » retrocedat, aut quod corpus humanum » glorificetur; quod nullo modo natura » facere poteſt: & iſta tenent ſummum » gradum in miraculis. 2° Aliquid excedit facultatem naturæ, non quantùm ad » id quod fit, ſed quantùm ad id in quo

» fit; ſicut reſſuſcitatio mortuorum & ſi-
» milia: poteſt enim natura cauſare vi-
» tam, ſed non in mortuo; & poteſt
» præſtare viſum, ſed non cœco (abſo-
» lutè dicto): & hæc tenent ſecundum
» locum in miraculis. 3° Modo excedit
» aliquid facultatem naturæ quantùm ad
» modum & ordinem faciendi; ſicut cùm
» aliquis ſubitò per virtutem divinam a
» febre curatur, abſque curatione, & con-
» ſueto proceſſu naturæ in talibus; ut
» cùm ſtatim aër divinâ virtute in plu-
» vias denſatur, abſque naturalibus cau-
» ſis, ſicut factum eſt ad preces *Samue-*
» *lis* & *Eliæ*: & hujuſcemodi tenent in-
» fimum locum in miraculis. Quælibet
» tamen *horum habent diverſos gradus*,
» *ſecundum quod diverſimodè excedunt fa-*
» *cultatem naturæ.* » Hinc apud theologos uſitata eſt diſtinctio miraculi quantùm ad ſubſtantiam, & quantùm ad modum faciendi; quemadmodùm etiam diſtinctio in miracula 1° contra naturam, 2° ſupra naturam, & 3° præter naturam.

Quibuſdam quarta miraculorum claſſis neceſſaria viſa eſt, ubi res caſu contingere potuit, quæ caſu tamen non videtur contigiſſe; veluti ut *Ariſtoteles* meminit, *Mityi* in *Argo* ſtatuâ, quæ autorem *Mityi* necis, ſe petulanter inſpectan-

tem, cadendo interfecit. Hæc & similia non temerè fieri, sed ex vindictâ divinâ meritò suspicamur, quamvis casu contingere possent. Miraculo effecit propheta, ut *Jeroboami* manus aresceret, araque finderetur : casu tamen malè constructa ara findi, casu morbosa arefieri regis manus potuisset. Verùm cùm hæc quarta classis comprehendi in tertiâ videtur, erasit eam *Bened. XIV, Libro cit. p. 4 & 5.*

Miraculum *Benedictus XIV* id appellat, quod sit præter naturam, quod insolitum sit, quod sit plenum admiratione. *Insolitum* sic explicat : « *Insolitum*, » non quia paucitas & infrequentia ne» cessariæ sunt ad miraculum constituen» dum, alioqui miracula non fuissent, » quæ fecit Christus; sed miraculum di» citur *insolitum & rarum*, quia fit præ» ter ordinem naturæ, veluti explicat » *S. Thom. in 2. dist. 18, quæst. 1, art. 3* » *ad Sec.* . . . . ut si quotidiè cœci illumi» narentur, nihilominùs miraculum esset, » quia præter cursum naturalem, qui no» bis est consuetus, contingeret. *Libr. cit.* » *pag. 3.* »

Paulus Zacchias, Quæst. medico-legal. Libr. IV, Tit. I, Quæst. I, multas plurium autorum definitiones referens, de-

mùm hanc ſuam addidit : *Miraculum effectus eſt rarus, arduus & mirabilis, præter naturæ ordinem, ex primæ cauſæ virtute productus.* Rever. *Nonnotte, in Dictionnario philoſophico Religionis, Tom. III,* miraculum definit *factum, quod a causâ nullâ naturali produci potuit; quod contrarium eſt conſtantibus cognitiſque naturæ legibus; quodque tribui nemini, niſi ipſius naturæ Autori ac Domino poteſt.*

Definitiones clarorum virorum Acatholicorum, ut *Clarkii, Lockii, Werenfelſii, Sercesii,* ſupra jam vidimus laxas nimis, adeòque ſtrictioribus ac ſeverioribus notis emendandas eſſe. Multominùs definitio miraculi admittenda, quæ ſupponit rem miraculoſam minimè præter naturam eſſe, quia Deus ab æterno decrevit naturæ neceſſario ordine miranda hæc fieri debere; qualem cum *Hautevillio* ingens *Bonetus* dedit. *Encyclopœdia Iverdonenſis,* Tom. XXVIII, pag. 756 : *Eſt miraculum mutatio ſenſibilis in ordine naturæ; modificatio ſenſiliſſima ejuſdem legum. Garmanus* de Mirac. mortuorum, Libr. II, Tit. VII, §. 107, dat ex *Joanne Conrado Dannavero,* quam judicat accuratam eſſe definitionem : *Miraculum eſt actus verus ac ſolidus, arduus, ſupernaturalis, rarus, temerè haud provocabilis,*

paradoxus, summè evidens, a Deo liberrimè agente, vel immediatè, vel mediatè profectus, ad infringendam hominum infidelitatem, & fidei veræ assertionem ordinatus. Clarke, Tom. 3, pag. 38: *Miraculum est opus extraordinarium, ab ordine communi, & regulari modo Providentiæ secedens, productum sive a Deo immediatè, sive ab aliquo agente intelligente, homini superiore; ut probet,* pour servir de preuve, *aliquod peculiare dogma; vel ut alicujus missioni testimonium reddat atque det autoritatem.* Doctiss. *Less*, Gotting. theolog. professor, Libro *de Veritate Christianæ Religionis*, editionis tertiæ, pag. 243: *Miraculum appellatur res, cujus productio vires omnium hominum, sive etiam omnium entium creatorum exsuperat.*

Hisce omnibus recensitis, liquet definitione sanctorum doctorum *Augustini* & *Thomæ*, supra datâ, id contineri omne quod cæterorum autorum definitiones perfectiùs hæ, imperfectiùs illæ, nos docuerunt. Estque miraculum proindè *res insolita, ardua, mirabilis, quam Deus, sive contra naturam, sive supra naturam, sive præter naturam, aut ipse per se, aut ministerio angelorum, hominumve facit.*

Ut autem miraculum sic definitum evidenter cognoscatur, conditiones addunt

plerique catholici & acatholici definitionum compositores, quas accuratè primùm enumerare, atque deindè quousque vera sint examinare, operæ pretium est.

Conditio I est, ut in verâ religione, olim Judaïcâ, nunc Christianâ, fiat miraculum; idque sive in obscurioris doctrinæ demonstrationem, sive in erroris confutationem, sive in dubitantis confirmationem, sive in justitiæ, innocentiæ, sanctitatisque testimonium, sive denique in malorum punitionem.

Cond. II. Oportere eum, qui Dei virtute miracula edat, hominem esse verâ religione, atque virtute Deo carum.

Cond. III. Serium oportere negotium esse; non mimicum, non sociatum ludicris ceremoniis gestibusque.

Cond. IV. Ut miraculum sit, intrepidè id, ac confidenter fiat necesse est.

Cond. V. Finem quemdam notum esse debere, propter quem miraculum fiat.

Cond. VI. Ejusdem requiri cùm integritatem, tùm constantiam.

Cond. VII. Oportere testes adesse tam sanæ mentis, probitatis, atque candoris, ut fidere illis humana prudentia tutò possit.

Porrò num conditiones hæ, & quousque requirantur, principio est examinan-

dum, cùm cæterùm certi nihil proferri in totâ miraculorum historiâ possit.

CAPUT II.

De Conditionibus Miraculi; ac primùm, an non nisi in verâ Religione fiat?

Singulæ religiones sola ea miracula vera esse agnoscunt, quæ in suâ, ut aiunt, communione sive sectâ, fiunt; falsum id omne miraculum esse, quod in aliâ sectâ, in suæ doctrinæ negationem fieri dicitur, statuentes. Sic Catholicus negat verum id miraculum esse, quod in ejusmodi doctrinæ confirmationem factum perhibetur, quâ ab Ecclesiâ Catholicâ *Ethnici*, *Mohammedani*, *Judæi*, & tot a se, & a se mutuò scissæ religiones dictæ Christianæ, discrepant. Eumdem in modum *Mohammedani* atque *Judæi*, nec non *Ariani* ac *Sociniani* miracula omnia negabunt, quæ in J. C. divinitatem patrata proferimus: qui autem *Lutheri*, *Calvini*, *Mennonis*, *Arminii* placita sequuntur, ea singulorum miracula repudiant, quæ in conformationem istiusmodi doctrinæ facta enarrantur, quâ vel inter sese mutuas, vel plures,

omnesve ab Ecclesiâ Catholicâ discrepant.

Argumenti vis sita in eo est, quòd si in falsæ doctrinæ stabilimentum miracula Deus patraret, unà nos in errorem inevitabilem præcipitaret; quod impossibile. Ergo quodvis tale miraculum falsum erit. At verò cùm hoc singula religio contendat, nullum ampliùs nostrorum miraculorum alicujus autoritatis foret apud gentes non christianas. Est ergo accuratè examinandum hoc argumentum.

Miracula vera, quibus hominem de veritate convincere voluit Omnipotens, in verâ religione facta esse passìm agnoscimus, agnovitque suâ ab origine Ecclesia sancta Dei. Nascente Ecclesiâ quærebatur utrùm Jesus Nazarenus messias an impostor esset? posterius synagoga, prius affirmabat apostolorum cœtus. Quid hîc Ecclesia primitia? Quia Actor. V. v. 12 *per manus apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe*: quia ibid. Cap. IV, apostoli dixerant: *Si nos hodiè dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël, quia in nomine Domini nostri J. C. Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus;*

indè prisca illa christiana gens J. C. N. messiam, veramque eam atque unicam Ecclesiam esse, quam condere ceperant apostoli, agnovit; petebatque Deum ut, miraculis auctis, augeretur credentium numerus: *Et nunc Domine*, Act. IV, v. 29, *respice in minas eorum, & da servis tuis cum fiduciâ loqui verbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu.* Mistæ admodùm religionis *Samaritani*, Act. VIII, v. 6, *intendebant his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat.* Cùm verò credidissent *Philippo*, evangelizanti regnum Dei, & innumeris miraculis id confirmanti, *Baptizabantur viri & mulieres.* Act. IX. *Petrus* Lyddæ curavit *Æneam*, octennem paralyticum, *& viderunt eum omnes qui habitant Lyddæ & Saronæ, qui conversi sunt ad Dominum*, ex Judaïsmo. Joppæ quæstio eadem inter Judæos & Apostolos vigebat. Act. IX. Sanctam viduam *Tabitham* a morte ressuscitat *Petrus*, quid indè? *Notum autem factum est per universam Joppen, & crediderunt multi in Domino.* Quandò *Paulus & Barnabas* Act. XIII. *Paphi*, in *Cypro* insulâ, gentibus fidem annuntiabant, harum, an

Christi vera religio esset, quærebatur. *Elymam* pseudoprophetam ac magum Paulus cœcitate punit : *tunc proconsul, cùm vidisset factum, credidit admirans super doctrinam Domini* : Per universum apostolorum, eorumque discipulorum ævum, in religionis veræ inquisitione, & demonstratione, omnem sive Ethnicum, sive Judaïcum populum sic conclusisse legimus. Malène hi ? Saltem ex annuntiato sibi Evangelio noverant autorem, & consummatorem fidei de Judæis incredulis. *Joan. v.* 25, dixisse : *Loquor vobis, & non creditis : opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Et v. 37, 38 : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi : si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite : ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et Cap. XV, v. 24 : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum.* Sic itaque & in ipsâ origine, & in sæculis primis Christiani ad omnem de religione disceptationem argumentabantur, sapientem *Nicodemum* imitati qui ex miraculis de J. C. personâ & doctrinâ judicabat *Joan. III. Rabbi, scimus quia a Deo ve-*

nisti magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum illo.

Hoc simplici, ac vero argumento, primitiva Ecclesia firmata est, a Judæis in gentes incredibili progressu confirmata atque aucta, eodemque argumento conservata.

Hoc adeò verum, ut id inexpugnabile dæmon, juratus Ecclesiæ hostis, comprehenderet, *Simonis Magi*, *Apollonii Thyanæi*, ac Pseudoprophetarum prodigia subornaret, quibus in idololatriâ servaret paganos. Quid plura? Tempore, a J. C. & apostolis prædicto, efficiet per *Antichristum* satanas tot tantaque, ut apparebunt saltem, miracula, ut, si id fieri posset, *etiam ducerentur in errorem electi.* De hâc autem re posteà latiùs. Id duntaxat impræsentiarum ex hisce conficio, miraculorum autoritatem atque reverentiam adeò insitam primævæ Ecclesiæ fuisse, ut iisdem, saltem sic apparentibus, satan & usus fuerit, & usurus sit, ad pervertendos Christianos.

Persuasi autem sic Christiani de hâc autoritate erant, ut apud illos, qui se ab Ecclesiæ unitate divulserant, vera miracula ægrè admitterent. Per omnia *B. Augustini* opera, quæ de miraculis disseruit,

operosè inquirens, incidi in notabilem ejus sententiam, *Tom. IV*, *pag.* 528, *tract.* 13 *in Joan.* Ubi primùm ostenderat S. Pater virginitatem, misericordiam in egenos, donum prædicandi, baptismum, & omnia de quibus *Donatistæ* gloriabantur, nihil ipsis, conscissâ unitate prodesse; ubi docuerat eos non esse illam virginem, quam uni viro castam *Paulus* exhibere gestiebat: « Quæ est, inquit, » virginitas mentis? Integra fides, solida » spes, sincera charitas; » quam charitatem amiserant schisma faciundo; ubi tandem ostenderat neque sacramenta, neque prophetias, neque tantam quæ montes transferat fidem, extra unitatem, id est, extra charitatem, cuiquam prodesse, in hæc verba erupit: « Nemo ergo vobis fa» bulas vendat. Et *Pontius* fecit miracu» lum, & *Donatus* oravit, & respondit » ei Deus de cœlo. *Primò* aut falluntur, » aut fallunt. *Postremò*, fac illum montes » transferre: *Charitatem si non habeam*, » *nihil sum.* Videamus utrùm habuerit » charitatem? Crederem, si non divisisset » unitatem. Nam & contra istos, ut sic » loquar, mirabiliores, cautum me fecit » Deus meus dicens *Marci Cap. XIII:* In » novissimis temporibus exurgunt Pseudo» prophetæ *facientes signa & prodigia, ut*

» *in errorem inducant, si fieri possit, etiam*
» *electos : ecce prædixi vobis.* Ergo cautos
» nos fecit sponsus, quia miraculis decipi
» non debemus. Aliquandò enim & de-
» sertor terret provincialem ; sed utrum in
» castris sit, & aliquid illi prosit charac-
» ter ille, in quo signatus est, hoc atten-
» dit, qui terreri & seduci non vult. Te-
» neamus ergo unitatem, fratres mei :
» præter unitatem, & qui facit miracula
» nihil est. »

Itaque cum sapientissimo viro *Pascal*, cujus libellum aureum, *Cogitationes* vocatum, consuluit laudavitque *Benedictus* XIV, pontif. max. *Cap. IV, de Fine Miraculorum*, sic concludamus : « Miracula dis-
» cernere in dubiis inter Judaïcum popu-
» lum & Ethnicum ; inter Judaïcum &
» Christianum ; inter Christianum catho-
» licum & acatholicum ; inter calomnia
» afficientes, & eadem affectos ; inter
» tres cruces. » Alludit ad sanctæ crucis inventionem.

Porrò cùm ad demonstrandam veritatem miracula sint tanti ponderis ; cùmque ejusmodi tempora calamitosa sint prædicta, quibus vel veri tantùm speciem habentia miracula, vel etiam vera, aut heterodoxi, aut schismatici, aut etiam cum suis *Antichristus* ederent, in suo-

rum errorum ſtabilimentum, præmonuit horum nos & ipſe Servator noſter benigniſſimus, ut mox *Auguſtiniano* textu patebit, & ſuis in epiſtolis *Apoſtoli*, & in ſuâ apocalypſi *Joannes*. Si enim tantùm valeant miracula, ut naſcente Eccleſiâ autoritatem doctrinæ conciliarent, conciliatura profectò eamdem hereticorum & antichriſti miracula eſſent, niſi præmoniti eſſemus, ne turbulentis iſtis temporibus fidem miraculis, veritatem aliàs demonſtrantibus adhiberemus, quia in confirmationem impietatis erroriſque fient.

Aptè ad rem Paſcalius Cap. de Mir. n° XI: « Moyſes Chriſtum prænuntiavit, » ſequendumque præcepit: Jeſus Chriſtus » Antichriſtum prædixit, ſequendum au- » tem vetuit, & *n°. XII.* Antichriſtus » non prædixit Jeſu Chriſti miracula, ſed » hic illa Antichriſti. Itaque ſi Chriſtus non » fuiſſet Meſſias ipſe, potuiſſet in errorem » ducere hominem; ſed in errorem duci, » rectâ ratione uſi, non poſſumus miracu- » lis Antichriſti. Chriſtus ergo Antichriſti » miracula prædicendo, crediditne ſuis » propriis miraculis fidem derogare?

N° XIII. » Nulla ratio eſt credendi » Antichriſto, quæ non ſit credendi Jeſu » Chriſto: ſed exſtant rationes credendi

» Christo, quæ non sunt credendi Anti-
» christo.

No XIV. » Fundandæ Ecclesiæ miracula conduxerunt, eidemque perpetuandæ conducent in Antichristi tempus, inque orbis finem. Undè Deus, hanc autoritatem suæ Ecclesiæ reservaturus, vel confundit falsa miracula, vel prædixit. Utroque modo, & semet erexit supra omne quod nostro respectu supernaturale est, & erexit nos ipsos. Idem in futuro erit: vel falsa miracula prohibebit Deus, vel operabitur majora. Tanti enim virtutis (ponderisve) miracula sunt, ut oportuerit Deum nos monere, ne fidem adhiberemus illis, si quantumcumque ejus existentia demonstrata sit, nihilominùs illi contraria forent. Citra hanc cautelam turbare nos potuissent.

» Illi itaque textus qui in *XIII Deuteronomii Capite* vetant eos audire, qui miracula facientes a vero Dei cultu avertunt; nec non *Marci Cap. XIII: Exurgunt enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ; & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos: Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia*: hi, inquam, textus, eorumque consimiles, tantùm abest ut derogent

» miraculorum autoritati, ut nihil ſit » quod eorum vim ac pondus evidentiùs » demonſtret. »

Alius proindè modus de miraculis dijudicandi in illis temporibus erit. Initio enim Eccleſiæ Judæi, de miſſione & doctrinâ Chriſti dubitantes, hanc utramque veram eſſe conficere ex miraculis debuerunt : atque ita *Nicodemus*, ita ſinceri *Iſraëlitæ* indè concluſêre : qui ſecùs, hos condemnavit Jeſus, quòd ad tantam miraculorum lucem cœcutire vellent. Judæi ergò & pagani in Eccleſiæ primordiis de veritate Evangelii per Chriſti, apoſtolorum, eorumque diſcipulorum ac ſucceſſorum miracula certiores reddebantur. Poſterioribus verò temporibus idem eſſe non poterit dijudicandi modus. Ut olim de doctrinâ per miracula, ſiç tunc de miraculis doctrinam fideles judicabunt.

Hoc evidens eſt. Primæva Eccleſia doctrinam evangelicam per miracula fundatam, per miracula confirmatam vidit. Porrò veritas unica eſt, ſemper eadem eſt, ac ſemel invincibiliter demonſtrata, immutabilis eſt, Veniant deinceps *Marcionitæ*, *Ariani*, *Macedoniani*, *Neſtoriani*, *Eutychiani*, *Donatiſtæ*, *Pelagiani*, &c. ac ſuos errores confirment miraculis : hæc mox Catholici falſa eſſe

pronunciare debebunt; quia illa horum novorum hominum doctrina contraria est illi doctrinæ, quæ fundata miraculis, confirmataque, divina proindè ac immutabilis est. Sequitur indè omnem doctrinam, quæ huic contraria sit, falsam esse. Patet ergò, quemadmodùm primi Christiani per miracula doctrinam dijudicare debebant, ita postremos Christianos debere de miraculis per doctrinam judicare, quod demonstrandum erat.

At verò oggeret *Arianus* mihi, & *Macedonianus*, & *Nestorianus*, sectarumque reliquarum singula, in Catholicâ Ecclesiâ contaminatam fuisse veritatem, apud se autem intemeratam esse, adeòque, quæ apud ipsos miracula fiant, vera esse, quia in columen servatæ apud ipsos veritatis facta. Aiunt quidem sic, dùm copiis unitis unam Ecclesiam Catholicam impugnant, dumque, quanticumque inter sese hostes sic se consociant, ut jam suo tempore *Tertullianus* clamaret *eo in casu hæreticis schisma esse unitatem*: sed mox divulsa hæc unitas erit, si ab illarum sectarum singulâ, ecqua earum sit tutata veritatem? percunctaris. *Arius Donatum* excludet, *Eutyches Nestorium*, *Donatum Pelagius*, quisque horum se solùm clamabit veri conservatorem, se unicum vindicem

vindicem esse. Ergò apud eorum neminem veritas demonstrativa est; & cùm alicubi esse debebat, in Catholicâ Ecclesiâ est.

Quippe Ecclesiam suam fundavit Christus perennem, quâcum permansurus sit. (Matth. XXVIII) *usque ad consummationem sæculi*, & *contra quam* (ibid. XVI) *portæ inferi non prævalebunt*. Ecclesia est *Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. I Timoth. III.* Ergò nunquam deficere in eâ vera religio potest. Contigit quidem illi jam ab Apostolorum diebus, ut dehonestaretur apud extraneos, ab hominibus ventri deditis, *Philip. III*; ab aliis, qui circa Christi incarnationem errabant, *I Joan. IV*; a multis, qui de mundo erant, & de mundo loquebantur, *ibid*; ab his quos seductores & antichristos, *Joannes Ep. II, v. 7*, appellabat; ab aliis, qui primatum gerere amantes schisma faciebant, ut Diotrephes, *Joan. Ep. III, v. 9*; ab impiis illis, qui gratiam transferentes in luxuriam, ac scelestissimis *Caïn, Balaam* & *Core* similes, inter Christianos subintroiissent. *Judæ v. 4 & 11*; ab ejusmodi hominibus, qui falsos Apostolos agebant, & in errores *Baalamiticos & Nicolaiticos* inciderant, *Apoc. II*; imò a prophetâ quâdam falsâ *Jesabel* seducente

Christianos, *ibid;* & a pravis pastoribus, ita ut inter septem Asiæ episcopos plures essent, quos vel doctrinâ, vel moribus, vel utrisque corruptos, Sanctus Spiritus plus minùs, & nonnullos acriter in *Apocalypsi* reprehendit. Ferre hoc in suo purissimo statu debuit, sed purissima perstitit. Hæreses deindè in illâ natæ sunt, leviores, graviores, quæ aut provinciam, aut regnum, aut totum Orientem, Occidentemve, imò universum propemodùm orbem inundare minabantur; servavit nihilominus integram Ecclesia fidem, integram posteris transmisit veritatem. Quod si ejus in sinu vita multorum scandalosa, si aliorum erronea doctrina, si damnosa alicubi superstitio esset, hæc omnia sæpè tolerare Ecclesia debuit, indè gemuit, nunquam approbavit, sed mutavit, damnavit, mox ubi potuit. An itaque aut *Donatista*, aut *Macedonianus*, aut *Acatholicus* quiscumque, qui hisce de causis Ecclesiam veritate privatam clamitat, in suæ confessionis sinu nullum schisma percipit? nullam hæresim damnat? nullam sive morum pravitatem deplorat, sive superstitionem, sive scandalum? Si proindè verum religionis cultum ob hæc ipsa non amisisse se contendit, cur tandem Ecclesiam Catholicam veri-

tate privatam exindè vociferat? Si hisce de causis nullam veræ religionis jacturam se passum esse prætendit, tacitè fatetur neque Catholicam Ecclesiam potuisse hanc jacturam pati; adeòque adhuc veritatis conservatricem quæ olim fuerat mansisse; & quicumque ex eâ exierint, apud eos veræ religionis cultum nec esse, nec fuisse, proprio ore videtur confiteri. Sed trabem proprio in oculo multi non vident, qui sibi videntur acutâ adeò acie pollere, ut in fratris oculo festucam & cernant & eximere tentent. Est Ecclesia Catholica ea Christianorum societas, quam *Marcio*, quam *Arius*, quam *Eutyches*, *Priscillianus*, dum ejus in sinu gestabantur, veræ fidei conservatricem agnoscebant: atque eodem modo quicumque ante hæresin in Ecclesiâ erant, id profitebantur; è gremio matris profugi, hanc fidei pervertricem vocant; suamque hæresin ejusdem conservatricem; quam hæresin, antequam eam adoptarent, ab Ecclesiâ verâ, miraculis conditâ confirmatâque, eousque apud se creditâ, implicitè explicitève, damnatam noverant. Nihilominùs secesserunt. Ergòne miraculorum donum, quod in solâ verâ Ecclesia est, quodque manere in eâ debet, ab Ecclesiâ Catholicâ abivit, &

jam ſeparatam ab illâ Eccleſiam ornat? Quo id fundamento velint, non capio.

Cùm mihi, de miraculis medicè ſcripturo, negotium neceſſarium cum eâ Chriſtianâ ſocietate ſit, quæ ſola eo dono pollet, converto me ad eas ſocietates a catholicâ ſeparatas, ut de miraculis apud eas edocear, & aptè de iis, quâ medicus ſcribam. Sed, ô chaos! ô confuſionem! ſocietatum illarum, quæ ſpatio XVII ſæculorum Catholicam Eccleſiam dereliquerunt: in *Moreri* catalogo tercentenarium numerum, quis credat? ferè explent; & ſingula quæque ſibi ſoli, excluſis ſingulis aliis, veræ fidei conſervationem vindicat, & miracula, donum, prærogativum, ſoli veræ religioni proprium, apud ſe ſolam neceſſariâ conſequentiâ eſſe, omnibus nervis contendit.

Alterutrum mihi ſupereſſe dicis: vel neminem audire, vel trecentos ſingulos: neminem, ubi omnes mentiri putas; ſingulos, ſi ex illis tercentum ſectis unam ſaltem arbitreris eſſe, quæ ſola mereatur legitima audiri Eccleſia Dei.

Prius quidem omnium facillimum eſt; quæritur an unà tutiſſimum? poſterius vel a me, ut Catholico, examinandum eſt, *vel ut planè ad omnes trecentas religiones indifferente*, ne aliquo præjudicio fortè

abreptus, in verâ religione inveniendâ aberrem.

Verùm hoc tentet ille, cui *Adami*, *Seth*, *Enos*, *Caïnan*, *Jared*, *Mathusalem*, virorum in decimum sæculum viventium, anni sperabiles sint; nobis verò, quibus *anni* (Psalm. 89.) *sicut aranea meditabuntur; quorum dies in ipsis septuaginta annorum, si autem in potentatibus octuaginta annorum, & ampliùs eorum, labor & dolor;* nobis, inquam, hoc factu possibile non est; & si Deus, (quod per impossibile dico,) id ab homine quopiam exigeret, accusare is Deum posset, quod ipsi æternam salutem redderet penitùs impossibilem.

Ergò sola mihi prior via superesset, harum tercentarum societatum nullam consulere, & ad conspicuam cunctis Ecclesiam, ad *civitatem supra montem positam*, me conferre, quæ, demonstratione a priore dictâ, veram fidem ex divinis promissionibus habet; & quæ eam, demonstratione a posteriore, habere debet, quia Ecclesiam Catholicam eam habuisse quondam, cunctæ aliæ societates fatentur, & quia vera fides apud harum nullam cognosci potest, quæ ad salutem æternam tamen a Deo revelata est: igitur, si in quâdam societate fidelium vera

religio adſit oporteat, ſi in nullâ tercentarum illarum ſocietatum ſit demonſtrativa, neceſſe eſt ut & unicè, & perſpicuè ſit in Eccleſiâ Catholicâ.

Tantò magis ſic concludo, ob ſequens argumentum. Ex ſacrâ Scripturâ certum eſt Eccleſiam habere infallibilitatem in rebus fidei, uſque ad conſummationem ſæculi; hocque cum omnibus Catholicis agnoverunt ſingulæ ſocietates ſeparatæ, antequam ab eâ ſecederent: atqui nunc eædem ſeparatæ ſocietates ſe hâc infallibilitate carere ultrò fatentur: ergò ultrò fatentur non apud ipſos, ſed apud Catholicos veram Eccleſiam eſſe.

Jam nihil me retardare eorum poteſt, ob quæ *Donatiſtæ*, *Gnoſtici*, *Ariani*, cæteræque ſocietates ſepararunt ſe ab Eccleſiâ Dei. Ponamus eos verè aſſeverare, quod hæreſes in eâdem aut fuerint, aut ſint: has in ſinu ſuo gemuit ab initio, non docuit, non propagavit, imò a poſteriore per eum, qui ex malis bona elicere novit, utiles eſſe. *Nam oportet & hæreſes eſſe*, I Cor. XI, *ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Plures autem hæreſes jam Apoſtolorum ævo fuiſſe ſuprà oſtendi: & quot, quantaſque hæreſes ſingulæ a Catholicis ſeparatæ ſocietates aut in ortu, aut progreſſu, non ha-

buerunt, ſic ut in plures ſit unica ſecta diſciſſa? Si ſcandala nonnunquam apud nos abundent, nonne & anteà id vidimus in beatis ſuis temporibus luxiſſe apoſtolos diſcipuloſque Domini? Ipſæne illæ apud ſe ſcandalis, & quantiſne ſæpè! vacent? Ideò ob ſcandala non debuerunt ſe a plebe catholicâ ſegregare. Si alicubi in Eccleſiâ Dei aut imperioſi epiſcopi, aut hypocritæ, aut avari, aut virtutis oſores, veritatiſque perſecutores, an Eccleſia hos approbavit? An ſi multitudine malorum oppreſſa tacitè tantùm gemuit, protinùs, ubi vel intra ſynodos, vel extra eaſdem libertate fruebatur, hos non corripuit, lapſamque diſciplinam, ut adhuc in *Tridentino Concilio* fecit, reſtauravit? Si ob ejuſmodi proceres Eccleſia deſerenda erat, videant, qui deſeruerunt, an non juſtiore de causâ oporteat ſuas ut deſerant ſocietates? Quin & ſi vellent Catholicæ Eccleſiæ adeò deplorandam conditionem fuiſſe, ut temerè ſcripsêre, nullum jus ab eâdem ſe ſeparandi habuiſſent; ut toties a magnis viris *Boſſueto*, *Arnaldo* & *Nicolio*, ipſis ſole evidentius demonſtratum fuit. Paucis hæc finiam addendo animadverſionem doctiſſimi ſimul ac piiſſimi *Meſenguy*, in *Comm. Tom. VI, in Ezechielis prophetiam*, *Libr.*

XVII. Statum regni *Judæ* conſiderat, quo irreverentius, ſceleſtius, in ſcelere obſtinatius, in Deum ejuſque leges contumatius, ingratiuſque, ab ipſo rege ac ſummis ſacerdotibus, ad imam uſque plebem, nihil unquam extitit; & quocum nihilominùs *Jeremias*, *Ezechiel*, cæteri prophetæ, & pauci illi boni, qui de cunctis abominationibus hiſce gementes, ſigno *Thau* notati a *Cherub* in fronte erant, unitatem in ſacris inviolatam conſervarunt, deteſtati quidem ſacerdotum impietatem; quidquid autem apud ipſos, licèt idololatras, de verâ religione ſuperſtes erat, cum iiſdem venerati; quantumcumque ob religionis integritatem calumniis, probris, vinculis, & morte ab illis afficerentur. Ita ut exemplo hoc probet, etſi hæreticis ſtatus Eccleſiæ adeò deplorandus viſus fuiſſet, ac ſynagógæ tempore regis *Sedechiæ*, illis nunquam ab eâdem ſecedere licuiſſe, ſed monere, orare, pati. Confirmat autor hoc ipſius J. C. exemplo, quantumcumque in ſacerdotum errores, hypocriſin, avaritiam, adulteria, atque abominationes inveheretur, ipſe tamen & exemplo, & doctrinâ, unitatem cum religione judaïcâ, reverentiam erga ſacra miniſteria, ſacroſque miniſtros præbuit, & inculcavit.

Hic omnium bonorum Christianorum spiritus fuit jam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, & per subsecuta sæcula. Quàm pulchrè B. *Cyprianus*, *epist. ad Max.* » Quia, etsi in Ecclesiâ videatur esse zi-» zania, non tamen impediri debet aut » fides, aut charitas nostra; ut quoniam » zizania esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi » de Ecclesiâ recedamus. »

Notatu dignissimum est, quod *B. Aug. Tom. XII, in epist. contra Gaudentium episc. Donatist.* postquam ipsi hæc *Cypriani* verba laudasset, adjecit: « Non » solùm verbo, de Cypriano, inquit, » verùm etiam exemplo nos admonens: » qui collegas suos, fundos insidiosis frau-» dibus rapientes, usuris multiplicantibus » fœnus augentes, quorum avaritiam non » leve aliquod vitium, sed esse idolola-» triam secundùm apostolum intellexit, » pro unitatis vinculo pertulit tales, nec » eorum contagio factus est talis: *discessit* » *ab eis dissimilitudine morum, non divi-* » *sione sacramentorum*; & immundum non » tetigit, sed a factis eorum abhorrendo, » *non seorsùm populos colligendo.* »

Igitur demonstratum est secundùm primam ab omnibus religionibus petitam, admissamque miraculorum conditionem, oportere in Catholicâ Ecclesiâ miracula

quæri. Sed an in eâ solâ? An vera miracula nunquam in separatis ab illâ fiant societatibus? Igiturne de miraculo ut medicus consultus, mox ut falsum id declarabo, quod extra Ecclesiam contigisse perhibebitur? Hoc nunc examinandum.

Quæstio I.

An extra Catholicam Ecclesiam nulla vera miracula patrantur?

§. *I.* Responsum ordiar sententiâ *Pascalii, de Mirac. nº 7:* « Homines Deo » debent, ut quam ipsis religionem adfert acceptent : hominibus Deus debet, ne illos ducat in errorem. Inducerentur autem in errorem, si ii, qui » miracula edunt, falsam doctrinam docerent, quæ vulgò falsa non adpareret; neque si quis miraculis celebrior » non præmonuisset, ne istis fidem adhiberent. Divisa itaque Ecclesia, si, v. g. » *Ariani*, se æquè sacræ Scripturæ inniti, quam Catholicos, jactantes, miracula fecissent, nec ulla Catholici; » inducti in errorem fuissemus. Quemadmodùm enim homo, qui nobis Dei arcana revelat, fidem propriâ autoritate » non meretur; ita homo, qui in testimonium suæ cum Deo conversationis mortuos excitat, futura pronuntiat,

» montes transfert, morbos aufert, fidem
» meretur, & qui illi fidem denegaret,
» homo impius censendus foret; nisi quis
» miraculis insignioribus omnem illi fidem
» tolleret. » Ferè similem sententiam ejusdem præclari autoris, quam *n°* *XIV* habet, suprà jam retuli, pag. 22.

Quandò antea *sancti Augustini* autoritatem laudavi, de venditatis *Donatistarum* miraculis differentis, observatum fuit S. Patrem primùm ea falsa suspicatum fuisse; deindè veluti vera admisisse eâ conditione, ut fides illis, utut veris, adhiberi nulla posset; quia Christus nos præmonuit etiam ab illis, qui unitate & charitate careant, insignia prodigia edenda fore. *Ergò cautos nos fecit sponsus*, ait, *quia miraculis decipi non debemus*. Hoc eodem argumento de *prædictis* extra Ecclesiam *miraculis* utebatur *Pascalius*, ut antea vidimus.

Ergò conceditur extra Ecclesiam vera posse miracula edi, sed simul ea nos autoritate suâ seducere non posse; 1° quia si fiant, & nos in errorem ducere suâ naturâ possent, Deus alia facit, eaque insigniora, quæ præservent nos ab errore, aliàs ex prioribus oriundo; 2° quia *Servator* nobis prædixit fore ut, ad nos seducendos, miracula extra Ecclesiam pa-

trarentur. Ergò etiamsi majora miracula in Ecclesiâ non semper, aut statim fierent, quæ omnem facti extra Ecclesiam miraculi autoritatem delerent, hanc abundè deleret ejusdem prædictio, neve illi fideremus, præmonitio.

Sed considerandum hîc 3° est, factum extra Ecclesiam miraculum posse, vel in erroris confirmationem adferri, vel in stabilimen veritatis, quam secta quæpiam alia adhuc communem cum Ecclesiâ habet, vel in argumentum innocentiæ, &c. Si primùm; vel miraculum majus, vel miraculi errori faventis prædictiò, atque admonitio, nos servaret in fide intrepidos: si alterum; veluti ipsius Ecclesiæ miraculum, id veneraremur: gnari ergò aliquam veritatem in Ecclesiâ quondam miraculo fuisse confirmatam, & ab Ecclesiâ, columnâ veritatis, perpetuò creditam, novimus a priore falsam oportere eam doctrinam esse, licèt illam decem miracula confirmare viderentur.

Sic demùm ritè capimus quæstionem, & quæstionis solutionem, quæ eruditos sæpè inter se divisit, re autem benè perspectâ, omninò consociavit. Dixit S. Thomas *Quodl.* 2, *quæst.* 4, *art.* 6: « Potest » contingere quòd aliquis gratiam gratum » facientem non habens, miracula faciat:

» ſed hoc contingere non poteſt, quòd
» aliquis falſam doctrinam annuncians,
» vera miracula faciat, quæ niſi virtute
» divinâ fieri non poſſunt : ſic enim Deus
» eſſet falſitatis teſtis, quod eſt impoſſi-
» bile. *Et quæſt. 6, de Mir. art. 5* : Cùm
» operatio miraculoſa, ait, ſit quoddam
» divinum teſtimonium indicativum di-
» vinæ virtutis, & veritatis, ſi dæmoni-
» bus, quorum tota voluntas eſt ad ma-
» lum, aliqua poteſtas daretur faciendi
» miracula, Deus falſitatis eorum teſtis
» exiſteret. »

Et *Paſcalius n° 7*. « Deus tentat ſuos,
» ſed non inducit in errorem. Tentare
» hominem eſt occaſionem ei præbere,
» citra impoſitam tamen neceſſitatem : in
» errorem inducere, eſt hominem in eâ
» neceſſitate collocare, ut falſum & con-
» cludat, & ſequatur. Porrò hoc facere
» Deus non poteſt ; faceret tamen, ſi id
» permitteret, & in obſcuriore quæſtione
» fieret in falſitatis favorem miraculum. »

Rectè hic pontifex *Benedictus XIV*,
eò vergere notat diſputationem omnem,
pag. 24 laudati operis, an in veram con-
firmationem erroris patrari miraculum
poſſit ? quod negatur : & an apud hæ-
reticos, imò apud ethnicos, miraculum
concedatur, quod in teſtimonium aut

veritatis, aut innocentiæ falsò accusatæ factum perhibetur? quod conceditur. Undè si quis contenderet verum illud miraculum Paganismi fuisse, quo Vestalis virgo in servatæ pudicitiæ testimonium, immobilem *navem* solo suo cingulo protrahendo, & quo *Tullia*, Vestalis alia, aquam ex Tiberi in cribro longiore itinere transferendo, in virginitatis illibatæ argumentum, claruisse perhibentur: putat pontifex admitti id posse, ut Deus in innocentiæ testimonium hæc miracula concesserit. Plura de his in Cap. seq. Sique verum esset apud *Paulum Novatianum* fontis baptismalis undam bis evanuisse, quandò impius Judæus, apud *Arianos* & *Macedonianos* bis frustrà, tertiò ab *Attico*, *Novatiano episcopo Constantinopolitano*, *ritè* baptizatus, se denuò *Paulo Novatiano* baptizandum offerret; concedit pontifex in fidei Catholicæ de baptismo, minimè verò in errorum Donatistarum confirmationem, contigisse miraculum.

Vir omni fide dignissimus, unàque, si quis unquam, eruditissimus *Le Gros*, Remensis quondam *archidiaconus*, narravit mihi, cùm iter quondam faceret, & curru unà cum matronâ Anglicanæ religionis, ejusque filiâ veheretur, con-

tigisse, ut filia præ suæ immanitate Cephalææ inepta quæ iter prosequeretur fieret. Cùm interquiescere medio in itinere minimè matris rebus conveniret, aiebat matrem se adstante, sacrum Bibliorum Codicem prehendisse, quem minuto charactere impressum, laudabili more secum semper gestabat & legebat; hunc, invocato Altissimi nomine, se filiæ capiti imposuisse, statimque & curatam illam, & quæ iter prosequi commodè posset aptam redditam fuisse. Hoc vocabat optimus vir miraculum, in alienâ quidem religione, in divinitatis autem sacrorum nostrorum Codicum testimonium factum. Grato animo tanti viri memoriam hîc recolo, qui ad me in religione, in physicis & in linguis orientalibus informandum, plurimum laboris adhibuit. Alioqui pontifex idem cum cardinali *Gotto* ait: « Non potest Deus facere miraculum (in falsi attestationem:) » nam aliàs Deus fieret illo miraculo testis falsitatis, & quodammodò, ceu sigillo, obsignaret falsum; eo modo quo » rex, si sigillum suum traderet in circumstantiâ, in quâ sciret adhibendum » fore ad obsignandum falsum diploma. »

Miraculorum igitur veritas, necessitas, autoritas atque præstantia, omni ex parte

demonstratæ sunt. Cùm autem Catholica Ecclesia hæc in suæ solius doctrinæ stabilimentum vindicet, & sibi eadem deesse societates separatæ passim fateantur, subterfugium hæ, quo excusarent miraculorum defectum, excogitarunt, defectum scilicet miraculorum ab apostolorum temporibus. Hoc subterfugium nunc examinandum est.

Quæstio II.

An Miraculorum in Ecclesiâ donum ab Apostolorum tempore cessavit?

§. I. Donum miraculorum, quod tanti sit in Catholicâ Ecclesiâ ponderis atque ornamenti, invidiam ipsi excitavit apud eos, qui eodem se carere ultrò fatentur. Ne igitur eo destituti soli viderentur, eò devenerunt, ut miracula Christi, atque apostolorum temporibus duntaxat contigisse, ab iisdem autem penitùs cessasse docuerint: & quia illa miracula facta in communis illorum nobiscum doctrinæ fundamentum sunt, non minùs se, quàm nos, miraculis fundatos esse glorientur. Hoc autem & Scripturâ sacrâ se probare posse, & ipsâ traditione, & Ecclesiasticâ historiâ asserunt.

Ac primò quidem ex *B. Pauli* Epistolâ ad Ephesios, Cap. IV, v. 7: *Uni-*

cuique autem noſtrûm data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Christi. Et v. 11: *Et ipſe quidem dedit quoſdam apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtutiâ ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſuî in charitate.*

Ex hoc loco concludunt mox ab apoſtolorum tempore elapſo, Eccleſia jam propagata per orbem, & *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & in virum perfectum adulta*, miracula penitùs ceſſaſſe, quia neque ampliùs neceſſaria, neque ſapientiæ divinæ ultra convenientia. Confirmare ſe hoc credunt proteſtan-

tium eruditi ex omnibus evangeliorum testibus, in quibus Christus discipulos suos miraculorum virtute donavit, scilicet non nisi eos solos, minimè eorumdem successores : & si *Marci*, *Cap.* 16. Christus dixerit : *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur* : id non nisi de iis solis, atque primis, intelligi credentibus posse, cum iisdem autem id commori.

2° Ut ipsos, ita jam suo sæculo *B. Augustinum* cogitasse & docuisse contendunt. Utuntur omnes, & repetito valdè textu hujus sancti Patris, *T. VII*, *p.* 470, *edit. Ven.* ubi, postquam intentionem Dei, ob quam in suâ vitâ mortali miracula edidisset, enarrasset. « Sed quia illa, in» quit, quæ non videbantur non credeban» tur, ædificabat fidem ad illa quæ non » videbantur. Nemo itaque, fratres, di» cat non facere modo ista Dominum » nostrum J. C. & propter hoc præsen» tibus Ecclesiæ temporibus priora præ» ponere. Quodam quippe loco idem » Dominus videntibus, & ideò creden» tibus, præponit eos, qui non vident, » & credunt. » *Joan.* 20.

Et alium ejusdem textum laudant ex *Libr. de Ver. Rel. cap.* 25. « Nec mira» cula illa in nostra tempora durare per» missa sunt, ne anima semper visibilia

» quæreret, & eorum consuetudine fri-
» gesceret genus humanum, quorum novi-
» tate flagravit.

Tùm & *Libr. X, de Civ. Dei, Cap. 7, 8 & 9*, ostendit primùm divinæ virtutis, & non persuasionis humanæ fuisse, quod mundus in Christum crediderit: id respuisset mens humana, « nisi eam (J. C.
» resurrectionem) fieri potuisse, atque
» factam esse divinitas ipsius veritatis,
» vel veritas divinitatis, & contestantia
» miraculorum signa monstrarent. » Deindè sic prosequitur: « Cur, inquiunt,
» nunc illa miracula, quae prædicatis
» facta esse, non fiunt? Possem quidem
» dicere necessaria fuisse, priusquàm cre-
» deret mundus, ad hoc ut crederet
» mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut
» credat, inquirit, magnum est ipsi pro-
» digium, qui mundo credenti non cre-
» dit. »

3° Ex falsorum miraculorum, quæ post apostolorum tempora divulgantur, sive fundatâ suspicione, sive verâ demonstratione, id se confecisse arbitrantur, quòd miracula post illorum tempora cessarint.

Ad I. Argumentum ex *Epist. ad Ephes.* petitum, regero optimorum interpretum sententiam, imò obvium planè textûs sensum esse, quòd dona apostolis data,

eorumdem ſucceſſoribus parciore profuſioreve modo in conſummationem Eccleſiæ, ad finem mundi uſque continuentur.

Reſp. 2° Si miracula, *gratiâ ſecundùm menſuram donationis Chriſti* cum apoſtolis ceſſare debent, quia *jam omnes occurrimus in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum;* conſequitur neceſſariò id, ut reliqua ad corporis incrementum requiſita, unà cum miraculis ceſſent. Inter hæc paſtorum ac doctorum munus erat. Quia nunc *omnes occurrimus in virum perfectum*, ut haud ultrà miraculis indigemus, ita neque doctoribus & paſtoribus: ſumus enim viri perfecti. Interim in ſingulâ ſeparatarum ſocietatum ambiri doctorum ac paſtorum munera, & honores cernimus, eaque cum apoſtolis abrogata non credi. Si aiunt pro necdùm credentibus requiri doctores, quaſi hi minùs quàm priores, miraculis ut credant, indigerent? Undè ſi ad finem mundi perſeverare cura paſtoralis debet, perſeverare quoque debebit miraculorum donum. Hæc dona omnia conjunxit Apoſtolus in hoc textu, ut in finem mundi uſque neceſſaria: quæ temeritas donum miraculorum indè ſemovere velle!

Reſpondeo 3° multùm abeſſe ut Eccle-

ſia evaſerit *in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Apud hos eoſdem viros doctiſſimos calculum Chriſtianiſmi reperio, quo evincere nobis annituntur necdùm decimæ orbis terrarum parti Evangelium illuceſcere. Sed *Evangelium*, Chriſto dicente, *prædicandum eſt omni creaturæ per univerſum orbem.* Si $\frac{1}{10}$ mortalium miraculis ad converſionem indiguit, a pari ratione iis $\frac{2}{10}$ indigebunt.

Secundùm eorum argumentum ex *B. Auguſtini* textibus, eos hunc S. Patrem haud benè pervolviſſe arguit. *Auguſtini* temporibus ii qui ab Eccleſiâ ſejunxerant ſeſe, quod miraculis ornari ſe non viderent, miracula ceſſaſſe vociferabantur, & ipſius *Auguſtini* autoritate atque ſcriptis abutebantur. Hos noſtri ſcriptores acatholici imitati, textum S. Patris *Libri de verâ Religione* alii poſt alios tranſcripſerunt. At verò horum ne unus quidem videtur *Auguſtinum* legiſſe, nemo textum per textum examinaſſe, & quidem in illis ſuis lucubrationibus, in quibus pompoſo hujus ſæculi titulo ſe criticæ artis faſtigium conſcendiſſe gloriantur. Scripſit *Auguſtinus* non unico, quem eorum alter poſt alterum exſcripſit, loco de miraculis nunc rarioribus, ſed in pluribus, quos principio excitavi, &

adhuc excitabo, ut quænam ipsi hâc de re mens fuerit patescat.

Libro Retract. I, cap. 13, n° 7. « Quod » ibi dixi (de libro *de verâ religione* » agens.) Quod ibi dixi, inquit, verum » est quidem : non enim nunc usque, » cùm manus imponitur baptizatis, sic » accipiunt Spiritum Sanctum, ut loquan- » tur linguis omnium gentium : aut nunc » usque ad umbram transeuntium prædi- » catorum Christi sanantur infirmi : & si » quæ talia tunc facta sunt, hæc posteà » cessasse manifestum est. Sed non sic » accipiendum est, quod dixi, ut nunc » in Christi nomine fieri miracula nulla » credantur. Nam ego ipse, quandò is- » tum ipsum Librum scripsi, ad Medio- » lanensium corpora martyrum in eâdem » civitate cœcum illuminatum fuisse jam » noveram, & alia nonnulla, qualia tam » multa etiam istis temporibus fiunt, ut » nec omnia cognoscere, nec ea quæ » cognoscimus enumerare possimus. »

Ad textum autem, quem mox ex *Libro X de Civ. Dei* attuli, & qui tale quid, quale prior, primâ fronte innuere videri posset, protinùs subjungit S. Pater sequentia : « Nam etiam nunc fiunt mira- » cula in ejus nomine, sive per sacra- » menta ejus, sive per orationes, vel

» memorias ſanctorum ejus. » Notat quidem miracula ejuſmodi obſcuriora iis eſſe, quæ in ſacrâ Scripturâ referuntur, eo quòd in oppidulis civitatibuſque obſervata, atque vix aliis provinciis nota, non rarò commoriantur; certa tamen ſic, ut numeret miracula novemdecim; eaque ſui temporis per invocationem *SS. Gervaſii ac Protaſii*, & maximè *S. Stephani* protomartyris, quorum tunc recens detectæ reliquiæ erant. Ad hæc ſui temporis miracula vigeſimum addit, quod contigit *Calamæ*; vigeſimum primum, quod *Uzaliæ*; & vigeſimum ſecundum, cujus urbs *Hippone* tota teſtis erat.

Malè ergò adverſarii *Auguſtinum*, ut miraculorum vacationem ab apoſtolicis numerantem temporibus memorant. Miracula quarto partim, partim quinto Eccleſiæ ſæculo obſervata, eaque numeroſa enarrat; imò talia, quæ Eccleſiæ doctrinam de ſanctorum invocatione, deque eorumdem reliquiarum honore, quam illi abjecerunt, luculenter confirment.

Summi porrò momenti hæc obſervatio eſt. Acatholici rationem ſui ab Eccleſiâ receſſûs eam aiunt eſſe, quòd Catholici ſanctorum preces invocando, toti-

demque mediatores constituendo, vim meritorum unius nostri apud Patrem mediatoris J. C. ad salutem insufficientem agnoscant: quod primò impium; & secundò, cùm sancti nostras preces ignorent, vanum ac ridiculum. Respondeo ad primum, si sanctos invocando vim meritorum J. C. Catholici negarent, negassent eamdem apostoli, preces primorum Christianorum pro se, ac pro progressu Evangelii postulantes, ut toties *B. Paulus* in suis epistolis fecit: negasset vim meritorum Christi *S. Jacobus*, *Cap. V*, *Epist. suæ* scribens: *Orate pro invicem, ut salvemini: multùm enim valet deprecatio justi assidua.* Igitur si apostoli, salvis meritis mediatoris, crediderint Christianos, & posse, & debere mutuas petere preces, possunt Catholici, integris J. C. meritis, preces sanctorum invocare. Ast, inquiunt, sanctorum precibus, plus quàm Christi meritis fidunt. Turpissima calumnia est, qua imperiti hinc indè vulgi superstitionem Ecclesiæ, veluti eam docenti adscribant. Nec calumnia duntaxat est, sed defectus sinceritatis: si enim, quæ ab omni sæculo Ecclesia de invocatione sanctorum docuerit; si quæ in *concilio Tridentino* de eâdem definiverit; si quæ *Arnaldus*, *Nicolius*, *Neerkassellius*,

&

& in suâ *Fidei Expositione*, quam suam esse tota Ecclesia declaravit, *Bossuetus* in hanc falsam accusationem diluendam scripserint, mente sincerâ, ac præjudiciis vacuâ, attentiùs perlegerent, nihil hâc accusatione falsius excogitari posse agnoscerent. Ast ad incitas redacti, easdem preces saltem ridiculas & vanas esse contendunt, eò quòd ignorent easdem beati, toto cœlo a nobis disjuncti. Ad hoc secundum regero eos, dum ad hoc subterfugium perveniunt, priorem accusationem falsam esse agnoscere; cùm hoc secundo opus non haberent, si prius verum esset. Ut verò paucis & hoc refellam, ex mox laudatis *B. Augustini* testimoniis, & priorum sæculorum historiâ universâ, constat Deum miraculis innumeris, testatissimisque adprobasse sanctorum invocationem, quocumque demùm modo illi orationum nostrârum notitiam adipiscantur. Hunc revelare nobis Deo non placuit, miraculis tantummodò docuit nos meritis Filii sui hâc invocatione non derogari, & nostras innotescere preces beatis. An ipse per se hoc sanctis revelat? An per angelos? Profectò *in Apocalypseos Cap. VIII*, angeli ferunt ad Deum orationes fidelium. Si ad Deum, qui citrà eos has pre-

ces novit, deferant, an non easdem fortè deferant sanctis? Et si quid valeret hæc ratio, cur saltem preces non implorant sui angeli custodis qui ipsis semper præsens est? Sed secessus ab Ecclesiâ decretus erat; cujus quod in legitimâ causâ deerat calumnia supplebat.

Tandem *tertium* illorum de cessatione miraculorum argumentum, quod ex falsis martyrologiorum ac legendarum miraculis corraserunt, vix meretur, opinor, responsum. Videntne Ecclesiam ex ejusmodi titivillitiis, ignorantiâ, aut avaritiâ malitiâve natis, sua miracula depromere? Videant laudatum jam sæpiùs justi voluminis opus *Benedicti papæ XIV*, legantque in eo, quàm prudenter, quàm anxiè, quàm scrupulosè ac difficulter sedes romana omnia examinet, antequam miraculum affirmare ausit; & sic quidem, ut fortè verum miraculum nonnunquam ab eâdem rejiciatur, si vel minimum ad ejusdem demonstrationem deesse forsitan videatur, vel aliquid opponi contingat, cujus absoluta solutio omni ex parte non prostet.

Denique falsa miracula tam parùm vera regant, quàm falsa moneta veram. Ni caveant sibi, in discrimine versantur ne demùm, impiorum nostri sæculi exem-

plo, ex falsitate miraculorum *Simonis Magi*, & *Apollonii Thyanæi* conficere audeant & Christi, & apostolorum miracula falsa esse. Atque hæc de primâ miraculi conditione satis.

CONDITIO MIRACULI SECUNDA.

De secundo criterio Miraculi, probitatis scilicet ejus, qui id Dei *virtute patrat.*

In utroque sacro codice miracula ut plurimùm edita ab hominibus legimus veræ religionis cultu, virtutumque ornatu, Omnipotenti caris. Patriarchæ, prophetæ, judices, reges, apostoli, discipuli Christi & apostolorum; in historiâ genuinâ ecclesiasticâ pariter omnes virtute pollebant, qui miraculis claruerunt.

An verò nunquam ab aliis? Profectò ab aliis: nam sub finem primæ conditionis articulo 1° concessimus extra Ecclesiam, citra fidem veram, posse vera miracula fieri.

2° Disputant verane fuerint, an falsa, miracula sapientum sive magorum *Pharaonis?* Qui vera fuisse statuunt, quos inter & ego, ut *pag. 5 libri mei de Magiâ* patet, agnoscunt non per omnia necessarium esse hoc secundum criterium.

3° Scelestissimo *Balaam* Deus usus est ad prophetiam, quæ in miraculis summa est, futuris Deo soli notis.

4° *Judas Iscariotes*, a longo tempore fur, (*Joan.* 12, *v.* 16.) missus cum cæteris apostolis fuit ad prædicationem regni Dei miraculis confimandum. Matth. 10. *Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis dicens: — Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonia ejicite: gratìs* (hoc donum) *accepistis, gratìs date.*

5° Quid evidentiùs monstrat fieri a pravis miracula, quàm J. C. ipsius testimonium Matth. 7, v. 22: *Multi dicent mihi in illâ die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Notabile hîc est tales fore multos: *Multi mihi dicent.*

6° Antichristi, pseudoprophetæ, & præcursores, tùm cùm maximè ipse Antichristus, *Matth.* 24, ejusmodi facient signa & prodigia, ut, *si fieri posset, etiam in errorem ducerentur electi.* Et de quo Apocalypsi XIII, v. 13: *Et fecit signa magna ut etiam ignem faceret de cœlo des-*

cendere in terram in conſpectu hominum: nº 8, *& adoraverunt eam* (beſtiam) *omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſus ab origine mundi. Si quis habet aurem, audiat.*

Ergò homines pravi, in nomine Chriſti, Antichriſtus, qui Jeſum Chriſtum negaturus, quin & perſecuturus eſt, miracula, eaque multa, ac portentoſa, patrare poterunt: undè ne in examinandis miraculis decipiamur, ad thaumaturgorum probos maloſve mores reliqua verorum, & veritatem confirmantium, miraculorum criteria advocanda ſunt, ut deinceps patebit latiùs.

CONDITIO MIRACULI TERTIA.

Conditio Miraculi tertia eſt, ut seriò conficiatur, non vanis, non mimicis ſocietur geſticulationibus.

Paucâ exceptione factâ, hoc tertium criterium omnes notæ religiones poſcunt. Actum religionis gravitas decet. Si attendas ad miracula facta a *Moyſe*, *Aarone*, *Joſuâ*, *Gedeone*, *Samſone*, *Samuele*, *Eliâ*, *Eliſæo*, *Iſaïâ*, *Jeremiâ*, *Ezechiele*, *Daniele;* ad miracula ipſius noſtri Salvatoris, apoſtolorum, eorumque diſcipulo-

rum, ac successorum, cuncta plena vides religione, veneratione, dignitate, gravitate, ac majestate. Nihil ibi futile est, aut ludicrum, aut indecorum, aut gloriosum. Et si qui extraordinarii, ac planè singulares observarentur gestus & actus, & prophetici hi erant, & Deum habuêre autorem. Hæc ad certam quamdam occasionem deindè repetam, & elucidabo.

Conditio Miraculi quarta.

Criterium quartum est, ut Miraculum confidenter fiat, & intrepidè.

Fidem intrepidam ad miraculum poposcit Servator noster; Matth. XXI, v. 21: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solùm de ficulneâ facietis* (ut illa arescat); *sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare, fiet.* Et Marci XI, v. 22: *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti; Tollere, & mittere in mare, non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.* Egerunt sic miracula prophetæ, & apostoli: modestam audaciam, humilemque confidentiam ipsis fides dabat.

Attamen exceptionem nonnunquam hoc criterium habuit. *Moyses* & *Aaron*,

de petrâ elicituri, Deo imperante, aquam, minùs debito fidentes bis rupem percussêre, miraculum nihilominùs perfecerunt. Evidenter hoc docuit Dei in eosdem titubantes indignatio. Dixitque Dominus ad *Moysen* & *Aaron*, Num. XX: *Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et Deut. XXXII: *Ascende in montem istum Abarim — quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis: quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israël ad aquas contradictionis in cades deserti Sin, & non sanctificastis me inter filios Israël.* Sic intelligimus, quod in psalmo 105 *David* habet: *Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus, & distinxit in labiis suis.*

Ergò ab his Israëlitici populi ducibus, miraculum facere jussis, nonnihil tamen diffisis, patratum miraculum est. Imò iniquo *Balaam Num.* 22, 23, 24, reluctante, in populum Dei infenso, Deus ad prophetiam, miraculorum principem, usus est.

Conditio Miraculi quinta.

Ut verum Miraculum sit, notum ejus finem, seu intentionem esse oportet.

Hoc criterium in omnibus penè miraculis invenimus. His quippe religionem, vel integrè, vel partim, potentiam suam, scientiam, providentiam, iram, misericordiam, majestatemque, ministrorum suorum missionem, suspectam proborum integritatem, improborumque malitiam, ostendere & confirmare Omnipotens voluit: vixque, vel unicum miraculum cernis, in quo, vel eminùs, vel cominùs, præfixum finem non animadvertas.

Igitur id omne falsum miraculum appellabo, quod determinatum suî finem habere non deprehenditur. Dei infiniti & incomprehensibilis intentiones capere an finita, atque imbecillis mens humana perpetuò possit? *Quis adjuvit spiritum Domini*, Isaïæ XL, *aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam justitiæ, & erudivit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi?* Intentionem Dei absit igitur ut nos semper hic capere debere arbitremur; ignotam sæpè adoremus; alioqui inuti-

lia, imò superflua eum miracula fecisse nasutuli nos homunciones statueremus. Miraculum *Ezechiæ* exemplo sit. *Ezechias* Judæ rex, fide in Deum fervens, religionis virtutisque exemplum, mortem periclitatur. Ore *Isaïæ* prophetæ in quindecim annos se comperendinatum intelligit. Tutus certè ac securus esse debebat. *Isaïas* enim, qui prophetare jam a 25 anno regis *Oziæ* ceperat, & qui regnantibus 14 annos *Joatham*, 14 annos *Achaz*, jamque 15 annos *Ezechia*, adeòque prope 70 annos veracissimus Dei propheta regibus universoque populo habebatur, missionem certè adeò probatam habebat, ut rex, quo illi fidem præstaret, miraculo non egeret; imò potiùs ut miraculum petendo, & servum Domini vilipendere, & Dominum ipsum tentare videretur. Neque, quemadmodùm impius *Achaz*, jussus ab *Isaïâ* fuit, ut signum veritatis prophetiæ a Domino peteret. Signum petiit tamen. Pendente rege, Deus, suis in actibus liber, in consiliis adorandus miraculum facit, quale vix unquam majus contra rerum naturam fuit, majus profectò eo quod ad *Gabaon* petierat obtinueratque *Josue*: ibi enim sol cursum sistebat, hîc cursum retroegit. Haud enim putet quis solem cursum suum

continuasse, & solummodò radios in horologio dicto regis *Achaz* divinâ manu retroactos fuisse: ipsum solem decem lineis retrogressum esse Scriptura sacra testatur; confirmantque *Babylonii* regis legati, qui in suâ regione idem portentum observaverant. Vide *Paralip. II, Cap.* 32, *v.* 31. *Eccles. XLVIII, v.* 26.

Fateamur igitur fieri miracula, quorum necessitas fortè & finis nos latent, necessitatem ac finem tamen habent, quia Deus nihil frustrà facit: in plerisque autem finem nobis patescere, éumque, si bonus non est, falsum redolere, ut postmodùm patebit.

Conditio sexta.

Ut verum Miraculum dicatur, perfectum id sit atque constans necesse est.

Miracula N. & V. Testamenti perfectum effectum sortita esse, effectûsque constantiam ubique deprehendimus. Neque in posterioribus ævis exceptionem videmus. Si homo, etiam protinùs ad Dei nominis invocationem, piorumve intercessionem, morbo levatur quidem, sed non curetur; si mox ad intercessionem pes alter acerbo dolore sic liberetur, ut idem alterum infestet; ne miraculi qui-

dem umbram hîc videmus: & cùm umbram tamen miraculi *Paulus Zacchias*, in propositâ beatificatione cardinalis *Roberti Bellarmini*, in ejusmodi metastasi doloris videre sibi visus esset, ne attendisse quidem ad hanc *sacra Rota Romana* apparet. Et rectè quidem, cùm nostrum non sit novas dignoscendorum miraculorum condere leges, sed priscas consulere & amplecti.

Itidem morbus gravis, si ad invocationem Dei auxilii extemplò cessans, brevì post, aut idem, aut mutatus redeat; cùm hæc, æquè ac illa prior a parte in partem translatio, per morborum crises imperfectas, juxta communes naturæ leges intelligitur, nulla hîc superest miraculi suspicio. Alia res foret, si quis statim ad Dei, aut sanctorum suorum, sive viventium, sive cum illo in cœlo degentium invocationem, integrè sanatus, brevì post, aut intemperantiâ, aut crimine, in eumdem, vel alium gravem morbum, justo Dei judicio recideret: si res aliundè miraculum referret, dehonestamento ipsi ejusmodi relapsûs non foret: ut luculentissimo exemplo in sequentibus patebit.

Cæteroquin est in similibus summâ prudentiâ opus. Hominum credulorum animus naturalem morbi vel intercapedi-

nem, vel metaptosin, ad miraculum facilè referret, si alicubi rumor esset de alicujus mortui sanctitate examinandâ; vel de dono miraculi cujuspiam viventis sermo esset. Epilepsia v. g. quater hominem adorta annuatìm, jam suo tempore non redit: si rumor aut suspicio miraculi, ut dixi, occupare homines cœpit, mox hæc epilepsiæ mora curatio vocabitur, & ad miraculum referetur. Interim epilepticus, aut cœlum mutavit, aut cibum, aut officium publicum, aut societatem; vel est liberatus a falso amico, ab hoste aperto, a pravis liberis, a Xantippâ uxore; quæ omnia morbos ejusmodi aut procrastinare, aut tollere, pluribus exemplis visa sunt. Ad hæc vulgus, imò plus quàm vulgi credulitas non attendit. Caput diù vexat dolor immanis; subitò se, capite libero, in femore locat. Frequens metaptosis ex naturâ morborum: nihilominùs, rumore miraculi existente, protinùs clamatur ad miraculum. Imò solâ nonnullorum imaginatione levamina morborum finguntur, & fama crescit eundo; perindè ac ad novi medicamenti famam. Fortuita cujuspiam morbi interni externive aut mora, aut absentia, iners remedium sæpè in cœlum effert; donec tempus ejus inertiam ostenderit.

CONDITIO SEPTIMA.

Oportere teſtes adeſſe, tam ſanæ mentis, probitatis, atque candoris, ut ſidere illis humana prudentia tutò poſſit.

Conditio hæc cùm in tribunali eccleſiaſtico & politico, tùm in omnibus phyſicis, hiſtoricis, ac civilibus negotiis, ſummè neceſſaria ſit, haud minùs in miraculi veritate explorandâ valet: ſed cùm per ſe res pateat, probatione utique non eget.

CAPUT III.

De Exiſtentiâ Miraculorum.

§. I. HUCUSQUE de miraculis ſcripſi, negotium habens cum illis, qui mecum miracula vera admittunt; tranſeundumque nunc foret ad caſus miraculorum practicos, quatenùs ad forum medicum ſpectant; ni nobis novum atque ingens negotium faceſceret, inceptamque viam interrumperet nefanda gens, quæ omne omninò miraculum præfractè negat.

Reſervatum ſcilicet infortunato noſtro

ſæculo erat, ob peccata procul dubio noſtra, quod in illuminatâ religione cœcutiremus, ut, neſcio undè, emergerent viri, qui novorum philoſophorum titulo ſe condecorarent. Audax hominum genus, pervicax, hoſticum Deo, religioni infenſum, ſocietati inimicum, unicè proprii amoris commodique ſtudioſum, cùm è re ſuâ eſſe judicaret religionem omnem ſubvertere, miracula quæ fundandæ ſtatuminandæque religioni conduxerant, omninò negare auſum eſt. Si ante elapſum abhinc ſæculum, horum impiorum ortum fuiſſet aliquis auguratus, patres noſtri fortè autumaſſent ſilentio contumelioſo, quam ſupervacaneâ reſponſione, maturiùs hunc ſacrilegum auſum infernales in umbras abiturum. Sed avitam de nepotibus exiſtimationem quantoperè ſpes fefellit! *Horatianum* illud heu nimium! verum hic fuit: *Carm. Libr.* 3, *od.* 6.

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

A paucis in multos propagata hæc philoſophica peſtis eſt, & ſive atheorum, ſive, qui in viâ ad atheiſmum repunt, deiſtarum, omnia plena ſunt; regna, provin-

ciæ, urbes, templa, domus. Hinc triste & inevitabile, non dicam fatum, sed officium incumbit iis, qui vi muneris sui hanc quæstionem agitare debent, ut Dei honorem, religionisque majestatem, sartam tectam servent, ac strenuè tueantur.

Eminuerunt multi eruditi viri posterioribus hisce annis strenuo in veritatem amore, & præclara ediderunt in ejus tutamen opera; memores moniti *B. Pauli ad Timotheum Ep. I, cap. 6. O Thimothee! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Præcipui fuerunt *Pascalius*, *Arnaldus*, *Sacyus*, *Nicolius*, *Du Guet*, (*Traité des principes de la Foi Chrétienne*, vol. 3,) deindè *Montispessuli*, *Babylonii*, *Antissiodori*, *Montis Albani* episcopi; *Parisiensis* archiepiscopus doctissimus *Gourlinus*, & alii, cùm maximè moti impietate thesium in *Sorbonnâ*, quis mortalium credidisset! defensarum, primùm ab abbate *Delomenie de Brienne*, deindè ab abbate *de Prades*. Rever. *Nonnotte*, in *Dictionnario suo philosophico de Religione.* Tandem laudatissimus nostræ universitatis *theolog. doctor ac professor P. M. Gaz-*

zaniga, Prælect. theolog. in-4° *Tom. III, Cap. IV, de Revel. V. Test.*

Clari viri apud protestantes junxêre se illis. Apud Anglos *Clarke*, *Addisson*, *Campbell*, *Alexander Gerard*. Apud *Helvetos* vir illustrissimus *Albertus Haller*, ingens *Bonetus*; apud Germanos *Lilienthal*, *Mosheim*, *Præpositus Jerusalem*, clarus apud *Gottingenses* theologiæ professor *Less*. Egregius (*Boutillier*) in Gallico opusculo anonymo, cui titulus: *Breve examen theseos abb. de Prades, & in ejusdem apologiam observationes.* Tandem & *Judæi* in suis ad novæ philosophiæ *Coryphæum* epistolis, quæ si non a Judæis omnes, sed forsan ab abbate *Guené* aliquæ saltem scriptæ creduntur, & potissimùm ab erudito Judæo *Pinto*, cive *Haga-batavo.*

Hæc de editis hâc super re libris. Sed quid dicam de *amplissimo Senatu Parisiensi*, qui toties regis auxilium in hasce impietates imploravit? Haud citra admirationem, & summam venerationem hujus cœtûs amplissimi, legere quis potest ejus regi oblatas petitiones 15 Apr. 1752. Quo eodem anno 22 Martii summus pontifex *Benedictus XIV* easdem impias theses Bullâ suâ proscripsit.

Ideòque & nos tantam habentes impositam nubem testium, Hebr. XII. sedulò laudatos autores legamus, ne cum incredulis hominibus a veritate aberremus. Lectores meos facilè eo mittere possem; verùm materiem meam, ni quædam ex illis mutuavero, perficere nequeo: dum & necessaria quædam argumenta, quæ theologos, politicosque passim latent, medicis verò in naturæ opera propiùs intentis observantur, & priorum assertiones firmant, ampliantque, me hanc quæstionem pertractare cogunt.

Pseudophilosophi nostri miracula contendunt impossibilia esse, cùm plura eorum sint contra naturam, natura autem immutabilis sit. Ipsissimis eorum verbis, quid sentiant, referam. « Miracu-
» lum est violatio legum mathematica-
» rum, divinarum, immutabilium, æter-
» narum. Lex eadem non potest simul esse
» & immutabilis, & violabilis. Impossi-
» bile est, ut Ens infinitè sapiens leges
» condiderit eâ intentione, ut mutaret
» illas, ipseque violaret. Evidens est,
» cùm Deus sit, eum machinam mundi
» tàm perfectam condidisse, quàm po-
» tuerit: quod cùm ita sit, neque inibi
» turbabit quid, neque mutabit. Miracula
» proindè non existunt. Citra rationem

» nil facit Ens ſupremum. Porrò quæ eum
» ratio compelleret ad turbandum pro-
» prium ſuum opus ? Si rationem dicas in
» hominum gratiam eſſe, quid abſurdius
» excogitari poteſt, quàm quod infinitum
» Ens, in paucorum mortalium gratiam,
» earum machinarum legem æternam
» mutet, quibus mirandum in modum
» movetur univerſum ? Suam impoten-
» tiam Deus miraculo fateretur, ac ſi in
» æternis idæis ſuis exequendis id perfi-
» cere quod intenderat planè impos,
» aliam viam tentare deberet. Eſt ergò de-
» decori miraculum divinitati. Quin nec
» veritas, neque evidentia miraculo
» egent. Nonne admirabile foret id, ut
» divinitas faciliùs hoc inveniret, quo
» naturam turbaret, quàm quo hominem
» veritates, illum convincere aptas, do-
» ceret ? Miracula excogitata duntaxat
» ſunt, ut res, creditu impoſſibiles, ho-
» minibus perſuaderentur. Miracula ergò
» ſunt res creditu impoſſibiles, ad res im-
» poſſibiles perſuadendas. »

Quouſque demùm minuti philoſophi noſtri, hoſque inter adhuc nonnulli, qui Deum vel unicum, vel in perſonis trinum, venerari ſe jactant, pervenerunt! O tempora! ô mores! dum ad hujuſmodi æquè impias quàm ineptas poſitio-

nes respondere necessitas cogit. Homunciones nos! Animam nobis infudit Omnipotens mirandis dotatam ornatamque facultatibus, sed finitis. Creavit hominem ad suam similitudinem, ad suam imaginem, sed a prototypo infinitè distantem. Et hoc infinitè parvum contendit infiniti moderari potestatem? *Quis adjuvit Spiritum Domini*, (ut denuò hunc textum *Isaïæ XL* excitem) *aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam justitiæ, & erudivit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi? Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ, reputatæ sunt: ecce insulæ, quasi pulvis exiguus.* Et hæc respectu maris guttula, hic respectu universi pulvisculus, seu arenula, hoc infiniti respectu nihilum, eò arrogantiæ, eò audaciæ, eò temeritatis pervenit, ut determinet, ut moderetur, ut cohibeat infiniti potestatem? Si veritati aliquem aditum in animum adhuc admittant; si *Deus hujus sæculi*, diabolus, *nondum excœcavit mentes eorum*, 2 *Cor.* 4, *v.* 4, volvant, revolvantque laudata mox magnorum virorum opera, & deindè sequentes positiones mecum admittant.

Deus, &, quia Deus, ideò omnipo-

tens, creans universum, eam illi gubernando legem statuit, quæ ipsi placuit; potens cæterùm infinitarum legum aliarum seriem constituere, cùm omnium sit potens; supremus intereà arbiter aut servandæ hujus legis, aut mutandæ variandæve infinitis modis. Hæc concipio evidenter, dum formo omnipotentis idæam. Dum itaque miraculum clarè demonstratum video, cognosco eum qui omnia potest, quem nulla lex tenet, mutasse in consilio suo adorando consuetum naturæ ordinem, ac supra, contrave eumdem, alium ex penu infinitâ suâ ordinem voluisse. Si hanc illi disputem potestatem, impius ero; si agnoscam & adorem, pius ac religiosus. Sola itaque idæa atque confessio omnipotentiæ Dei, impiam possibilitatis miraculorum negationem damnat, delet. Sed operæ pretium est ipsos convincere quòd, fatentibus ipsismet, leges consuetas mutet Deus, aliasque sequatur.

Nobis medicis multa atque frequens oportunitas sese offert hoc perspicuè videndi. Et sanitas, & morbi, ut singulæ res creatæ, consuetas suas, semel a Deo ordinatas leges habent, atque servant. Interim nullibi evidentiùs hasce mutat Deus. Sanitatis signa cuncta in corpore

adſunt, & vita tota non niſi morbus eſt: morborum perpetuorum ac graviſſimorum extant in corpore cauſæ, & homo aut ſemper pancreaticè valet, aut nullum ſaltem horum ſignum in vitâ oſtendit.

Sed philoſophos noſtros novi, & quam objectionem mihi facturi ſint, præſentio. Faciliùs nempè hæc dici quàm demonſtrari: perſæpè medicos ſuis in indicationibus falli, ac fallere: mutuis illorum de naturâ morbi diſceptationibus conſtare, hanc varietatem non a naturæ lege mùtatâ, ſed ab ipſorum diverſi ſyſtematis, ex eoque natorum principiorum inſtabilitate, atque incertitudine, haud perrarò, petendam eſſe.

Regero autem illis hâc ipsâ, de quâ loquor, mutatarum naturæ legum demonſtratione nihil poſſe eſſe evidentius, quandò non ratiocinia phyſica, ſed ipſa eorumdem hominum cadavera, id ſole meridiano evidentius oſtendunt. Neceſſe eſt horum nonnulla exempla afferre.

1° *Tomo II. Rat. Med. a pag. 179, ad 190*, deſcripſi, quam publicè feci, anatomen, cujus deſcriptionis hùc nonnulla transferam. Iſchiadico morbo peſſimo periit homo in meo Noſocomio. Viventem illum nemo noſtrûm laboriosè reſpirantem vidit; nemo pulſum parvum, aut

præternaturalem unquam deprehendit: *Paucâ* duntaxat & celeritate, & debilitate utraque hæc functio peccabat.

Factâ anatome partium, in quibus sedes fuerat ischiadici morbi, curiositatis nostræ consuetæ causâ, etiam reliquarum partium anatomen fecimus, utrùm ibi omnia secundum naturam se haberent, an fortè quid insoliti adesset, curiosi. Descripsi rem pag. 183, sic: « Cor cum au-
» riculis, ac sinibus, vasisque majoribus,
» intra pericardium planè immobile fuit;
» idque non partim, ut pluries vidi, sed
» ubique locorum, concretione validâ, vi
» tantummodò dilacerandâ » (eâdem firmissimâ concretione reliqua thoracis viscera coiverant.) « Sic igitur hîc contem-
» plemur totum thoracem, pleuram, dia-
» phragma, pulmones, pericardium, cor,
» vasa majora, mediastinum non fuisse
» nisi unicum solidum, quomodò actio-
» nem vitalium viscerum horum explica-
» bimus? » Refero tunc duas contortas explicationes, rejicereque eas coactus, sic pergo:

« Sanè quocumque modo rem exami-
» no, volvo, ac revolvo; non invenio,
» nisi ubique insuperabiles mihi difficul-
» tates: coherentia enim descripta notas
» cujusdam vetustatis habet, ob idque

» communes physiologicas regulas re-
» pudiat.

» An ergò & præter, & contra com-
» munes leges naturales homo vitam vi-
» vere possit ? Noster vixit, ergò potuit.
» Ecquis Omnipotenti regulas præscripsit,
» secundum quas vitam conderet serva-
» retque humanam ? Orbes terrarum in-
» numerabiles condere potest, hominesf-
» que in iisdem producere, quos singu-
» los vario modo condat, variis conser-
» vet in vitâ modis. Metimur nos naturæ
» leges ex consuetis observationibus ; quas
» velit Deus, has sequitur leges. » Vide plura loco citato.

2° En verò aliud exemplum *Tom. IV*, horni ejusdem operis do publicæ anatomes historiam. In *Nosocomio civico* fœmina moriebatur 102 annorum, ut ipsa testimonio baptismali confirmaverat. Hanc mortuam ab illius Nosocomii directore petii, fatum senile auditoribus meis demonstrandi causâ. Secundùm consuetas & penè æternas naturæ leges corpora ad senium vergentia paulatim solidescunt, eò quòd vasa minima defectu transmeantis liquidi in impervia ligamenta mutentur; undè demùm vasa majora, minoribus vasis composita, paulatim indurescunt, siccescuntque sic, ut

in impulſos humores vix reagant, vix ultrà promovere eoſdem poſſint. Increſcente quotidiè hâc duritie, humores vix promoti ampliùs, ſtagnare incipiunt, unàque cum vaſe ſolideſcere. Hoc porrò cùm tandem & in illis vaſis minimis fiat, undè nutritio habetur, & undè nervi id, quo agant, aganturque, habent, corpus demùm vivere deſinat neceſſe eſt. Præcipuè quandò decrepita admodùm ætas hanc deſcriptam conditionem inferre vitalibus partibus cœpit. Hanc igitur demonſtraturus, anatomem feci, ut *Tomo IV* enarravi. Quantoperè verò me, & confertam ſpectatorum coronam eventus eluſit! Præter muſculos abdominales ſolos, reliqui univerſi corporis muſculi adeò & toroſi, & adipe tecti, & inter fibras pingues erant, quam in ætate floridâ. Viſcera ventris & thoracis mollia, obſequioſa. Cor autem, ejuſque cùm propria, tùm oriunda ex eo dicta vaſa majora, radices vitæ, veluti vegeti in adultâ ætate hominis; in cerebro neque vel ulla nota ſiccitatis. Effuſo porrò ſub piâ matre cruore perierat; non verò ſenili fato. Igitur qui legum conſuetarum naturæ immutabilitatem tam acriter propugnant, ut immutare eaſdem ne ipſe quidem naturæ Autor poſſet, vident novum hujus mutabilitatis

bilitatis exemplum. Proindè fateamur Deum velle quotannis, in singulis orbis plagis, quosdam homines vegeto ferè corpore centesimum plusminùs annum vitæ transcendere, dùm communi naturæ lege fati senilis signa, eaque sæpè maturè admodùm adparere solent.

3°. Eâdem *Parte IV*, hominis arthritici anatomen dedi, in quo omnes auditores mei vix ullum sanguinem in amplissimâ aortâ, in amplissimâ venâ cavâ, in peramplis reliquis vasis corporis majoribus viderunt; polyposa tantummodò in iis fila, vix lineam in majoribus arteriis, vix duas lineas crassa in venis majoribus, cum vacuo propemodùm corde, vixque sanguis in vasis encephali. Homo hic quinquagenario major, anomalâ arthritide, à 13 annis in calcem ad articulos conversâ cruciatus, ac ferè consumptus, à triennio frequentem colicæ Pictonum insultum passus, & a quatuor mensibus purulentam materiem mingens, lentâ demùm tabe in nostro nosocomio periit, & adeò exsanguis a morte inventus est. Homines, quos à longâ die ærumnæ consumpserunt, debent eam saltem, quoad vita inest, humorum habere copiam, ut eorum columnam comprehendere vasa,

ſicque eam promovere queant, quo dictus circulus ſanguinis, qui vitam facit, perfici, continuarique utcunque poſſit. Hoc æternæ, hoc immutabiles, hoc mechanicæ leges docent. Attamen, ſi in hoc viro cruor copiâ decuplâ in vaſis fuiſſet, necdùm tangere ejus columnam ampliſſima hujus corporis vaſa potuiſſent. Neque ſuſpicetur quis ſubitâ quâdam humorum ante obitum evacuatione hanc natam vaſorum fuiſſe vacuitatem; nulla enim, vel minima prægreſſa eſt. Ergo hic vir vixit, & quis ſcit quam diu? ſine ſanguinis circuitu. Sed an a cauſâ quâdam hic ſanguis non potuit vehementer rarefactus fuiſſe, ſicque ejus columna a vaſis comprehendi, propellique potuiſſet; frigus autem cadaveris eum ex rarefacto ſic condenſaſſet? Neutiquam: habent omnia ſolida fluidaque ſuæ rarefactionis & condenſationis leges in hydroſtaticis: ſanguinis porrò columna a rarefactione in condenſationem tantam diametri differentiam minimè admittit. Foretque alias hæc obſervatio frequentiſſima hyemali tempore, ſi in cauſâ hæc eſſet a morte rarefacti cruoris condenſatio, ubi nunc inter rariſſimas ac maximè inſolitas ponenda eſt. Equidem *Lieutaudius Ep.*

Med. Pract. 1759 *Parisiis edita*, exsanguium cadaverum exempla quædam collegit, sed cum prægressis horrendis ante mortem evacuationibus quæ in nostro nulla fuit; licèt in *Lieutaudianis* etiam cum evacuatione hinc indè historia habeatur, quæ admirationem excitare posset.

Idem, quod in hoc viro, demonstravi in feminâ, *Parte VI*, ut latius ibi videri potest. Unde ex utroque merito concludere posse videor, supremo vitæ Arbitro placere, ut in nonnullorum hominum vitâ diutiùs breviùsve conservandâ, ac protrahendâ, stabiles suas, ac verè mechanicas leges penitùs mutet.

4°. Homines qui diù purulentâ tabe laborant, ac lentâ demùm febre extinguuntur, jam à principio marcore cognoscuntur, & adipe universæ compagis paulatim consumpto, ossa nuda ferè pelle tegunt. Hoc novimus omnes, medici & non medici, inviolabili lege naturæ contingere, nec aliter esse naturaliter posse. Attamen, *Parte VI*, in juvenculæ cadavere demonstravi huncce tùm gravissimum, tùm diuturnum tabum, nullum, ad usque ultimum vitæ halitum, non modò

induxisse marcorem, verùm è contrario pulcherrimam conservasse torositatem, atque pinguedinem ubique; in externo internoque corpore, in omento, in appendiculis coli: unà cum viscerum universorum integritate tantâ, ut dummodò sternon, cum præternaturalibus suis finibus excipiatur, toto in corpore prorsùm nihil reperiretur, quod illibatam sanitatem non referret. Memini adhuc quantoperè hunc universi corporis habitum pinguem atque torosum, in tam diuturnâ copiosâque puris cùm confectione, tùm excretione, obstupescerent *Ill. Baro vàn Swieten*, plurefque medici, & chirurgi egregii, dùm hanc juvenculam octiduo ante mortem, mecum super ea consulturi viderent. Et ab *Hippocrate* quid simile observatum fuisse ex ejus Libro de morbis patet. Adhuc aliam non multum absimilem historiam, *Parte VIII*, *Cap. I*, dedi.

Porrò explicent philosophi hanc juvenculæ, aliorumque paucorum historiam, ad consuetas, ad dictas a sese immutabiles & mechanicas naturæ leges! An non velint, nolint, coguntur fateri, aut consuetum, aut mille mutatum in modos ordinem in morbis Deum observare?

Hæc horumque ſimilia annoſiore meâ praxi vidi; vidêre mecum in anatomicis ſectionibus verſati viri, *Bonetus*, *Tulpius*, *Stalpart van der Wiel*, *Borellus*, *Schenckius*, & inſtar omnium magnus per omnia *Morgagni*.

5°. Calculi renum ac veſicæ urinariæ, juxta conſuetas & mechanicas naturæ leges, tormenta enormia faciunt, annoſumque martyrium. Sed *Baglivius*, *Oſterdyck-Schacht Leydenſis profeſſor*, & ego quoque calculos a morte deteximus, ingenteſque eos, quorum ne minima quidem fuerat in vitâ aut ſuſpicio, aut perceptio. Profectò contra ordinem conſuetum naturæ Deus hiſce hominibus hanc inſolitam dedit annoſamque indolentiam.

6°. Pulſus arteriarum ac corporis calorem vita poſcit: iis breviſſimo tempore deficientibus, fit ſyncoperia & imago mortis: indè tamen paſſim reviviſcit homo: iiſdem plus paucis minutis ſilentibus certa mors eſt. Profectò hoc æternæ ſic dictæ naturæ leges docent. Interìm *Ramazzini*, *Morgagni*, *Haller*, *Schenckius*, *Fernelius*, *Bonetus*, protractam vitam, imò & mentis præſentiam, corporiſque motum, ſpatio unius, trium, quatuor, quindecim, quadraginta

dierum, imò & quatuor mensium, vel ante mortem, vel ante vitam cum pulsu & calore ordinariis restitutam. Ubi egregius vir *Haller*, *Op. min. Tom. III*, *pag.* 305, triduanam tantummodò asphyxiam memorarat, meritò hæc verba addit: *Difficulter hæc omnia cum theoriâ conciliantur.* Æternâ ita dictâ lege oportuisset cunctos hos mori; vixêre tamen notabiliore tempore plures, in sanitatem nonnulli redierunt. Ergò Deo placuit contra consuetum suum ordinem hisce hominibus vitam tanto tempore conservare, imò ducere in sanitatem.

7°. Et ut hæc demùm finiam, *Tomo meo VIII. Rat. Med.* in *Boneti Sepulcreto*, & maximè in *Ep. Anat. Med. Morgagni*, exempla sunt enormis copiæ aut puris, aut lymphæ pectore gestati, sine ullo ejusdem in vitâ signo; ubi secundum dictas immutabiles ac mechanicas, æternasque leges, vita duci ærumnosa ac ferè intolerabilis debuisset.

Demonstratâ igitur hâc veritate, prima pseudophilosophorum objectio contra miracula corruit, ac si Deus, scilicet, consuetas naturæ leges mutare non posset: corruit & altera, quasi Deus, concessâ etiam illi mutandi potestate, tamen mutandi non haberet

voluntatem. Et mutasse Deum has leges patuit, & mutare voluisse, cùm alias non mutasset. Si ergò has mutationes in communi suo agendi modo facit, vel non capimus cur eum mutet, & tunc adoramus id Ens infinitè sapiens, quod citra adorandas rationes nihil facit; vel piâ conjecturâ rationem assequimur. Vult, v. g. Deus in Ecclesiæ, in Reipublicæ, in Familiæ bonum, cujuspiam hominis operâ uti, sed homo naturali lege in suis visceribus habet morbi ad omnia ipsum ineptum reddentis causam. Causâ manente, effectum summus rerum Arbiter sic sistit, ac si causa non adesset: vi hujus voluntatis homo ea, quæ per illum Deus facere decrevit, sic facit, ac si corpore ac mente esset valentissimus. Pulsûs, respirationisque conditione mori, imò jam mortuus esse aliquis deberet: ut se cum Deo per Servatoris merita reconciliet; ut res suas sapientiùs disponat; ut honores facultatesque in ejus familiam deferantur, quæ maturiore ejus morte in aliam familiam transiissent, Deus hujus hominis vitam contra communes suas agendi leges procrastinasse potuit.

Dei igitur & existentis, & pro voluntate ordinem rerum mutantis argu-

menta nobis hæ observationes præbent. Existentis, inquam: si enim vel Atheus, vel cujusquam Dei rerum humanarum prorsùm incurii cultor, quibus utrisque persuasum est materiam semel in motum ductam, eumdem immutabiliter prosequi debere semper, & interim hanc legem adeò evidenter mutatam cernunt, fateantur necesse est præter materiem Ens aliquod existere debere, quod materiæ movendæ ordinem, quem sine existentium rerum destructione mutari non posse sibi persuaserant, mutare tamen, quotiescumque voluerit, possit. Ut Dei existentis sic & consuetum naturæ ordinem mutantis pro suâ voluntate, dùm tam luculenta exempla habent, ut ipsis eadem negare sit impossibile; negare ultra miraculorum sive possibilitatem, sive existentiam, ni aut ridiculos, aut obstinaces se præstare velint, non poterunt.

Superest autem in eorum objectione aliquid, quod ut futile & ridiculum, cum cæteris tamen diluendum est.

Scilicet de eis rebus, quæ aut præter, aut supra, aut contra naturam contingere dicuntur, non posse ritè judicare mortales; multas quippè naturæ leges illos latere; hinc vocare eos posse rem

ſupranaturalem, quæ naturalis ſit; inanem proindè eum omnem eſſe, quem de rebus ejuſmodi proferant ſermonem. Qui hanc objectionem cuderunt, iidem ſunt, quis crederet? qui ob id miracula negabant, quod præter naturalem rerum ordinem nihil aut facere poſſet, aut facere vellet Deus. Ipſine ergò, cæteri autem mortales minimè, totum naturæ ordinem integrumque norunt ſic, ut ſciant omnes motuum quos vident mutationes planè eſſe naturæ communi ordini conformes? Si nemo noverit intra quoſnam limites communes motuum regulæ coërceantur, quo demùm jure hi omnes, quos vident motus, planè naturales eſſe determinant? Profectò hoc ſuo ultimo argumento ipſi ſuum priùs egregiè deſtruunt.

Perperam autem nos de miraculis juſtè judicare non poſſe arguunt, eò quòd hiſtoriam naturæ integram non poſſideamus. Et integram naturæ hiſtoriam nos non poſſidere ultrò fatemur, ſed unà aſſerimus, ut ritè de miraculis judicemus, nos hiſtoriâ naturali integrâ haud indigere. Non indigeo ſanè integrâ hiſtoriâ naturæ, ut quandò homo mortuus & ſepultus in vitam revocetur; aut quandò homo, ſive ægrotans periculo-

sissimè, sive morbo diuturno, eo usque insanabile habito laborans, in perfectam sanitatem, fulmine citius, ad hominis alicujus imperium restituatur; aut quando homines annis 12, annis 18, annis 38 insanabiliter ægrotantes, tactu vestium, imperiove alicujus sic restituantur, ut protinùs surgant, lectum gestent, & millenos spectatores in admirationem rapiant; non indigemus, inquam, hic integrâ historiæ naturalis notitie, ut hæc naturæ vires superare, adeòque miracula esse intelligamus. Cæterùm laudat hic *Benedictus XIV. Pontifex* responsum eruditæ feminæ Anglicanæ acatholicæ, quod in *Actis Lipsiensibus anni 1734* legerat, & quod acta illa sic referunt, pag. 552. « Non » esse necessarium ut aliquis norit omnes leges naturæ, qui certò se scire » tuetur. Leges naturæ esse in hoc vel » illo casu mutatas. Sufficere exploratum esse omnia corpora ejusdem naræ secundùm easdem moveri leges, » & easdem causas ordinatim eosdem » producere effectus. Quod si igitur » corpus moveatur aliâ lege quam reliqua omnia ejusdem naturæ; quod si » eadem causa in iisdem circumstantiis, » alium quam ordinatim solet, produ-

» cat effectum, nullum esse dubium, quin » evenerit miraculum. »

CAPUT. IV.

Miraculorum ad datam definitionem & conditiones examen.

§. I. DUM vulgus ad res miras, & ut saltem putat, extraordinarias, in portenta ac miracula cursim convolare solet, Ecclesia *columna & fundamentum veritatis*, primùm omnia quæ enarrantur notat accurratè; an autem, ut narrantur, sic se habeant, severissimè examinat; nec minùs attentè eos audit, qui priorum testimonia obscurent, infirment, negent; quæ, si veriora prioribus sibi appareant, mox omnem miraculorum sistit suffocatque rumorem. Sin verò utrinque videantur dubia esse, ea hinc & indè scrupulosissimè inquirit ac ponderat: & cùm haud rarò id, quod miraculosum quid sapere videtur, per naturæ leges exponi possit, libenter medicis id accuratè examinandum ac discutiendum tradit, antequam suum examen prosequatur.

Hâc de causâ contigit aliquoties *Viennæ Austriacorum*, ut tribunal ecclesiasticum nostram inclytam facultatem consuluerit. Facultatis sententiam iis in casibus, quibus deputatus interfui, dabo; ut quid sæpè natura efficiat, quod miraculo alias adscribi solet, omnibus pateat.

1° Contigit anno 1761, ut imaginem *D. Virginis* in templo *S. Udalici* vulgus miraculosam clamaret, utque testimonia publica homines sex ejusdem invocatione ad sanitatem restitutos esse perhiberent. Commissio Facultatis 3 Sep. 1761 habita est. Unico excepto, exhibebantur nobis omnes qui curati dicebantur, quatuor a cæcitate, unus â spinâ ventosâ; idque allatis cum oblato confirmationis juramento testimoniis confirmabant. Juramento profectò de præterito cæcorum statu opus non erat: oculos enim illorum panni & maculæ adeò nunc deturpabant, ut potiùs minus, quam plus testimonia prioris ante prætensam curationem statûs referrent: nec cuiquam restitutus visus erat; ita ut, quæ ipsis objecta exhibebamus, nemo nisi aut defectuosè admodùm, aut nihil omninò distingueret. Unusque præ cæteris vir, qui suam curationem quam maxi-

mè jactabat, cùm parumper in proximum auditorium medicum secedere jussus esset, postmodùm revocandus, in parietem impegit, nec portam auditorii, quam pedellus ipsi latè panderat, nisi diu palpando invenit. Denique cùm nos minus credulos quam speraverant deprehenderent, gradum antiquæ cæcitatis adeò auxerunt, ut quæ ejus testimonia juramento confirmare voluissent, nunc penitùs mendacia redderent. Atque hæc de cæcis. In puero a *spinâ ventosâ*, ut aiebant, curato, dudùm signum affuerat futuræ ossis cariosi separationis: triduo a peractâ ad sacram imaginem devotione hæc separatio fiebat; quâ factâ ulcus fœdâ cicatrice utrinque coire incipiebat, articulo tumido manente, ut in spinâ ventosâ solet. Cùm nunc cæcorum curationem audiret miraculo tribui, etiam hic, ejusque parentes, cariosi ossis separationem, triduo post D. V. imaginem invocatam contingentem, pariter miraculosam esse contenderunt.

Facilè ex omnibus patet nullam fuisse difficultatem facultati nostræ omne hîc miraculum negandi, cùm nihil hîc præter consueta naturæ contigisset. Exemplum hîc vidimus, non dico malitiæ, sed stupidæ superstitionis, quâ B. V.

laudem celebrare per fas & nefas voluerint; ac si beatissima Virgo ementito honore indigeret, neque veris miraculis non esset abundè honorata. Penè quid simile in multis vidi, qui chirurgicis ophthalmicis per Europam vagantibus, se tradiderant. Si operatione factâ imaginarentur sibi se aliquid plus cernere, mox cæcitatem antiquam ita ampliant, præsentemque lucem ita magnificant, ac si olim ferè cœci, jam acie ferè perfectâ gauderent: dùm interìm, sedato enthusiasmo, nihil se lucratos esse candidè fatentur multi. Itaque facilè hæc commissio terminabatur: quæ sequitur difficultatem majorem habuit.

2°. Pauper adolescens 11 annorum, quem à triennio *spina ventosa* invaserat, atque haud ita pridem scrophulæ ad collum & ad axillas deturpaverant, violentaque plurium mensium tussis dirè vexarat, demùm in hæmoptoën incidit, spatio binorum mensium aliquoties repetentem, exindè in vocem raucam, vixque audibilem, ac tandem in hecticorum similem maciem. Accessêre convulsivi per triduum motus, & a finiente Aprili mense, ad finientem Augustum, aphonia. Medico & medicamentis usus frustra erat, jamque per in-

tegrum annum, quòd non prodeſſent, nullis; lecto utplurimùm affixus.

Contigit autem menſe Julio anni 1773, ut apud *R. R. P. P. Barnabitas*, ſeu *Clericos regulares S. Pauli Apoſtoli, ad S. Michaëlem*, celebraretur tranſlatæ ex inſulâ Cretenſi (Candiâ) D. V. effigiei, jam in *Candiâ* miraculis claræ, ipſorum in templum jubilæum, cum dictâ ita novenâ. Parentes noſtri adoleſcentis hâc devotione capti, ac miraculorum rumore allecti, filium excitarunt, ut ſecum *D. V. Cretenſis* interceſſionem, ſolitâ cum præparatione, imploraret: dumque hi bis die templum hoc per novenam conſcenderent, eâdem horâ domi filium ad feneſtram, quâ turris templi faſtigium intueri, unàque cum illis orari poſſet, collocarunt. Porrò teſtabatur filius, die 25 Julii, ſub ipſâ hâc oratione ſe toto corpore tremere cœpiſſe, morbo ferè toto levatum fuiſſe; meliore quam per annum ſomno eâ nocte gaviſum: in ſomno autem ſibi viſum eſſe, ac ſi in templo eodem coram ſanctâ effigie oraret, ſuaſque expone et calamitates: poſtmodùm dictum ſibi fuiſſe fore ut poſterâ luce loqueretur: hanc ſibi factam dormienti promiſſionem ſe mane in lecto chartæ

inſcripſiſſe, hanc legendam miſiſſe parentibus: patrem quidem deſpexiſſe chartulam, & lacerare cœpiſſe: contigiſſe nihilominùs ut adoleſcens ſurgeret, agile ſuum corpus perciperet, diſtinctèque loqueretur: corporis autem vires ita reſtauratas fuiſſe, ut & eâdem, & ſequentibus diebus, iſtudmet templum adiret, de reparatâ valetudine gratias acturus. Porrò quemadmodùm filius, ita parentes, frater, medicus, chirurgus, R. Pater confeſſarius, ac præpoſitus cum toto horum clericorum collegio teſtabantur.

Multum profectò hîc pro miraculo militat, ita ut primo intuitu de ejuſdem evidentiâ dubitandi vix ſit locus. Sed erat nobis medicis hoc negotium ab eccleſiaſticâ poteſtate datum, ut examinaremus, utrum omnia hæc ſecundùm communem naturæ ordinem contingere atque exponi poſſent; an verò quid eamdem, & quouſque, tranſcenderet? Undè ſequenti modo proceſſimus.

Quotidianæ obſervationis eſt a frequenti, violentâ, pertinacique tuſſi ſputum ſanguinis naſci, idque redire frequenter, atque vocem debilem & raucam haud raró comitem habere, & poſt ſe relinquere; paulatìmque indè ulcera in pul-

mone gigni : ex his ulceribus pus vel rupto carcere, si in cavum pectoris infortunatò non effundatur, sputorum formâ per os ejici, vel per sui carceris vasa bibula intra massam absorberi humorum, vel alias corporis partes visceraque invadere, ac tumefacere, vel denique per varias, sive ordinarias, sive extraordinarias corporis cloacas eliminari.

Fit autem nonnunquam, ut in amplo pulmonis sacco, eoque solidiore, pus collectum maneat, copiosèque accumulatum, saccum vehementer amplificet, induretque. Quid hîc nunc in nervis fiet, huic massæ prementi subjectis? Paralysis indè oriatur necesse est, sive lateris ejusdem brachii, sive organi vocis, sive utriusque. *Hippocrates Coacarum*, N°. 400, simile quid descripsit. Ego, prout *Parte III. Rat. Med.* scripsi, casum sexies in meâ vitâ medicâ vidi. Durabat hoc aliquo, sed incerto tempore. Quocumque verò modo pus ex suo domicilio pergeret aliorsùm, semper nervorum compressio levabatur, ac proindè nata a compressione paralysis. Porrò in horum nonnullis contigit ut sacco, a recenter renato pure tumido, in novam & paralysin, & apho-

niam relaberentur; evacuato iterùm viâ quâcumque pure, & artus moverent commodè, & expeditè loquerentur, atque ita in tertiam quartamve vicem.

Cùm itaque omnis nostri adolescentis morbus a suo exordio in *spinâ ventosâ*, & natâ indè *diathesi scrophulosâ* constiterit, undè tumores in collo & axillis nati; tumores autem ejusmodi afficere sæpenumerò pulmones soleant, obstruere eosdem, inque hæmoptoën disponere, ab hæmoptoë demùm pulmonis abscessus frequenter nascatur; causa capitur interceptæ vocis, deficientisque in brachio motûs; intelligitur cur, pure ablato, compressio desierit, ac partibus redierit motus. Puris quidem evacuatio omnium manifestissimè per sputa apparet, verùm haud rarò se per alias vias, imò nonnunquam per solas urinas se hoc pus evacuat ita, ut ejusdem penitùs flaccescat saccus: ita ut si horum ægrorum urinæ non conserventur, neque examinentur, inscii prorsùm hi hoste liberantur; ut *Parte VIII*, ex *Prospero Alpino*, *Wiero*, *Hollerio*, ostendi.

Ex hisce demùm conficiebatur potuisse saltem citra miraculum vocem adolescenti redire, & corporis motum.

Quid ſi perpendamus unà animi motûum vehementium hoc in caſu effectus? Apud *Schenckium*, *Lib. I. de Paral.* conſtat magnâ irâ, ſummo terrore ignis, partem ædium in quibus paralyticus jacebat conſumentis, curatas paralyſes fuiſſe. *Caliphi* concubina paralytica noverat lege patriâ ſe ream eſſe mortis, ſi quis vir vel digito nudum tangeret corpus. Interìm medicus, conventione factâ cum *Calipho*, hanc depereunte, minatur, adſtante principe, paralyticum attingere pedem, eumque hoc ſummo terrore in motum reſtituit. Quid hîc celebrius reſtitutione vocis *Crœſi* filii apud *Herodotum Lib. I, cap. 85*, qui mutus, dùm Perſam videt ſtringentem in patrem gladium, *ne perimas*, inquit, o homo, *Crœſum*, vociſque potens totâ vitâ manſit.

Puella conſularis *Hagæ Batavorum* in quintum ætatis annum muta, ad omnia adiaphora, verùm tantummodò hominis ſimulacrum, in nundinis ducitur ab ancillâ cubiculariâ in locum, ubi neuroſpaſta lucido admodùm theatro, multâque cum muſicâ, repræſentabantur. Mox cuncta mirari puella, atque ad inſtrumentorum clangorem, luminumque coruſcationem, primùm obſtupeſcere, mox

ridere, exsultare, saltare, inconditas edere voces, & tandem verba quædam edere incipit, undè intelligebat famula eam rogare, quid sibi hæc omnia vellent? Quò diuturnior spectatrix, atque admiratrix erat, eò altiorem distinctioremque edere vocem cœpit. Post bihorium in ludicro hoc theatro transactum, domum reducta mox quærere matrem, quæ viderat narrare illi, eamdemque visi spectaculi narratu attonitam reddere, & extra se præ gaudio rapere. Nec fugax hæc mutatio, sed in dies crescens fuit. Ita ut tandem nupta, fœcunda prolium mater, voce perfectâ, ac sapiente animâ, mihi universæque meæ natali urbi nota, grataque fuerit.

Omnes hujusmodi historiæ in admirationem & stuporem rapiunt quidem legentes; ast hi tamen hæc per naturam rerum sic explicant, ut ne ulla quidem in mentem incidat miraculi suspicio. Fatentur quidem difficilem sæpè nobis neurologiam esse; at verò non ad miraculum, sed ad minus nobis notam nervorum œconomiam referre solent, quòd per consuetas leges observandi haud ita clarè capere possint. Alia res est, v. g. morbi pessimi subita in perfectissimam sanitatem restitutio ad ho-

minis unicum mandatum ; vel mortui verè hominis ſubita in vitam perfectam ſine ullo auxilio , ſolâ voce imperantis , reſſuſcitatio ; hîc omnia eſſe novi ſupra naturam , proindè miraculum eſſe : alia res eſt , ſi mutatio morborum mirabilis fiat per hujuſmodi auxilia , quæ hujus virtutis in ſimilibus morbis eſſe nota aliundè ſint : quod enim ſecundum naturam in uno horum factum eſſe spontè fatemur , idem & in alio agnoſcamus neceſſe eſt.

Igitur intelligitur adoleſcentis noſtri prompta reſtitutio facta ſic fuiſſe , ut in devotionem , inque ſummam fiduciam erga B. Virginis apud Deum interceſſionem , vehementer excitatus , ut præterea ad feneſtram , quo ad turris templi conſpectum ferventius oraret , collocatus , parentum fervidæ in templo orationi vehementer confiſus ac motus , hocque demùm extraordinario animi humorumque motu a pure pulmonis , aliorsùm rapto liberatus , extraordinario quidem , ſed non extranaturali modo , meliorem vocis , ac virium labefactarum uſum , brevi experiretur.

Quod autem magis non miraculi , ſed naturæ operam hîc pronunciaremus , ſpina ventoſa , morbi univerſi origo , ef-

fecit cujus curatio nulla facta esset, sic ut miraculo morbi effectus sublatus dici debuisset, ejus autem fœda relicta origo. Quod cùm contra miraculi genium esset, adeòque in totâ hâc historiâ omnia miraculi criteria fallerent, curam hanc non esse miraculosam declaravimus. Effectum hinc, ut eminentissimus archiepiscopus & cardinalis *Migazzi* omnem prætensi miraculi hujus famam suâ autoritate, sapientiâ & prudentiâ suppresserit.

3°. Anno 1774, die 29 Sept. commissio facultatis medicæ habita est ad examinandum miraculum, quod intercessione *B. V. Cellensis* patratum ferebatur, ac summâ famâ & ibidem, & *Viennæ* clarebat. Tradebatur autem historia in hunc modum.

Anno 1765, puella quinquennis variolis affecta, totam linguam, ad usque radicem perdiderat: linguam totam, ore elapsam, excepêre parentes & siccatam conservarunt. Elapsâ linguâ, neque vocem edere puella, neque deglutire potuit; sic ut parentes alimenta in os intrudere, digitoque in faucium isthmum ducere, ac promovere debuerint. Elapsis 14 diebus in his ærumnis, invocarunt tandem parentes, *Hungariæ* inço-

læ, *D. V. Cellensis* apud Deum intercessionem, filiam quantociùs possent, se sisturos pollicentes. Voto peracto, cœpit puella loqui ac deglutire, sensimque sanescere. Hæc contigêre anno 1765, testimonium autem miræ sanationis parochus loci dedit die 7 Maii anni 1768. Votum verò filiam in cellis Marianis majoribus sistendi, non explevêre parentes, nisi æstate anni 1774. Cùm illâ æstate multa nobilitas *Viennensis* cellas *Marianas* inviseret, atque exhibita singulis puella esset, percrebuit miraculi fama, pervenitque ad nostræ incomparabilis Monarchæ aures; quæ non minor veritatis amatrix, quam Dei operum adorandorum admiratrix, filiam cum parentibus *Viennam* advocavit, ac facultatis medicæ examini subjecit.

Acta porrò & testimonia primùm legimus. Legebatur in illis & tota lingua ablata, & vox optima, & deglutitio naturalis. Quærebatur, an non miraculosa omnis esset citra linguam loquela? Res naturalis aliquandò, aliquandò miraculosa dicenda esse apparebat. Vocis cùm imperfectioris, tùm inconstantis sine linguâ, exempla habet *Bartholinus Cent. II, Hist.* 22; *Blancardus Cent. VI*, *N*o. 5; *Welsch. Epil. pag.* 24; *Wolf*

de loquelâ; *Lami*, *art de parler*; *Phil. Transſ.* *N°.* *464.* Undè ſapientiſſimus *Haller*, *cap. de loquelâ*, « vocis verò » uſum, & aliquam loquelam, *abſque* » *linguâ* ſuperfuiſſe non rejecerim, cùm » vox ex glottide ſolâ naſcatur. » In omnibus hiſce hiſtoriis naturaliter contigit, ut loquelam imperfectam hi exercuerint. Ipſum quoque Gaſtriloquium, quod *Tractatu de Magiâ*, *a pag. 150*, *ad 164*, expoſui naturæ viribus exercetur.

Atque hæc de *loquelâ imperfectâ*: *perfecta* verò & conſtans loquela cum linguæ totius jacturâ naturaliter non exercetur: undè ſi exerceatur, miraculo eſt adſcribenda. *Claudius Fleury*, *Hiſt. Eccl. Tom. VII*, ad an. 584, perſecutionem *Hunerici* Wandalorum regis, atque *Arianorum* in Africâ propugnatoris deſcribens, præter multorum catholicorum præclara martyria, notat plurimis fidei defenſoribus linguam radicitùs ademptam, manumque dextram amputatam fuiſſe: *Victorem de Vite* autem, auculatum & auritum teſtem, affirmare integram loquelam perſeveraſſe illis: *Victorem* miſiſſe quemdam Eccleſiæ lectorem *Conſtantinopolim*, videndi causâ *Reparatum*, Eccleſiæ Africanæ ſubdiaconum, qui

totâ

totâ linguâ privus, loquebatur eleganter, ob idque in palatio *Zenonis* Imperatoris, ab Imperatrice autem potissimùm summo honore habebatur. *Eneas de Gazâ*, philosophus platonicus, in fine *dialogi de Resurrectione*, referente eodem *Fleury*, testatur se horum confessorum complures vidisse, articulatissimèque loquentes audivisse : ad quod mirum phænomenon, cùm dubius fluctuaret, curatè se in eorumdem os introspexisse, radicitùs autem exstirpatam linguam ipsis fuisse se evidenter deprehendisse. Quæ omnia *Procopius*, ut ait *Fleury*, haud confirmat duntaxat, sed addit horum binis contigisse, ut præ humanâ fragilitate in impurum vitium lapsi, voce penitùs privarentur. Et plus adhuc *Marcellinus* : catholico juveni, muto ab origine, Rex *Hunericus* extirpari totam linguam jubet : juvenis mox à divinâ laude orsus, egregiè cœpit loqui. Agmen autem integrum horum confessorum *Constantinopoli* salutasse se memorat *Marcellinus*, qui linguam truncati perfectè loquerentur. Addit *Fleury* Imp. *Justinianum* in quâdam *constitutione* suâ quòd hos confessores viderit meminisse.

Hæc nunc in genere, quæ lectis tes-

timoniis consideratio suggerebat: erat nunc puella examinanda, quæ cum suâ matre sistebatur nobis. Loquebatur quidem, sed imperfectiùs; perindè ac ii loqui solent, qui linguæ apicem, ad incisorum dentium in inferiore maxillâ radices affixam tenent. In os verò puellæ intuiti, eam superstitis linguæ portionem deprehendimus, quæ superesset, si lingua secundum totam suam longitudinem duas in laminas fuisset divisa, & lamellarum superiore ablatâ inferior in ore mansisset, ac cum fundo oris concrevisset.

En igitur quomodò rem totam contigisse judicavimus! variolæ, quemadmodùm totum corpus, ita & linguam, & denso quidem agmine obsederunt. Linguæ proindè inflammatione ac suppuratione contigit, ut ulceratio marginum penetraverit se in linguæ corpus, & ut, serpente sic acri pure, lingua hiscere cœperit, atque sic reddita bilinguis laminam superiorem à se suppurando separaverit & ore projecerit. Altera porrò semilingua relicta in ore, exulcerata undiquè cum oris fundo concrevit, ut ab ejusmodi partium affectione, quâcumque corporis in plagâ fiunt, coalescere contiguæ partes solent. Concretio autem

talis non erat quin, dùm puellam ore hiante loqui compellebamus, motûs vestigia in musculosâ linguæ superstitis portione clarè cerneremus. Ipsa hæc tenuis residuæ linguæ portio, quia cum oris fundo coalita, anatomes ignaris vix spectatur, vix movetur, sui integri prolapsûs ideam præbet.

Confirmavit hanc sententiam illa dicta *tota* puellæ lingua, quam *Cellensis* thesaurarius mittere *Viennam*, augustâ jubente, debuit. Hanc sic deprehendimus, ac si ante nostram casûs expositionem eamdem vidissemus. In *Cellis Marianis* visum quidem fuerat hanc non esse linguam totam; at verò, cùm per incuriam de mensâ cecidisset, ac fortè in pavimento tunc conculcata esset, crediderunt ab eâdem, quondam integrâ, portionem quamdam hoc infortunio fuisse ablatam. Verùm error erat: quam nos portionem deindè vidimus, exactè id erat, quod deerat relictæ in ore linguæ.

Variolæ sæpè afficiunt fauces, non minùs quam linguam, undè ferè in cunctis graviter variolosis molesta deglutitio est, raucedo, ac ferè aphonia. Indiget natura 10, 12, 14 diebus, ut exulceratæ partes novo epithelio contegantur.

Post hos 14 dies, ut ex relatione constitit, votum facêre parentes; eo nimirum tempore, quo ipsa per se natura absolvere hoc opus assolet. Miri ergò nihil in eo quòd, & loqui tunc, & deglutire cœperit. Ergò nullum hîc miraculum.

Ergò Ecclesiastici reverendi *Cellenses*, cum bonâ fide miraculum hoc celebrare non possint, bona miracula obscurabunt, homines mendaciis pascent, & sacram religionem risui exponent, si pergant hanc puellam in miraculi ostentationem producere peregrinantibus.

CAPUT V.

De applicatione earumdem conditionum ad varia miracula hujus temporis.

§. I. Fertile miraculis hoc sæculum audit; an verè examinandum est. Examen ordiamur à *Gasnerianis*, quæ suo & numero, & continuatione, & mirabilitate, *Germaniæ* adjacentibus regionibus stupori sunt.

R. D. Joannes Josephus Gassnerus, natus anno 1727, die 20 Augusti in *Braz*,

propè *Bludenz* in circulo *Suevico*, studia sua peregit in universitatibus *Pragensi*, & *Oenonpontanâ*; sacerdos factus est anno 1750. Ad missas, primo mane in *Dalas* celebrandas, vocatus anno 1751, & ab anno 1758 parochus in *Klosterle* diœceseos *Curiæ*, adversâ valetudine, ut narrat, ab annis quatuor priusquam parochus fieret, laborabat, ut nunc atrophiam, nunc apoplexiam metueret: opem multam tentavit a medicis Oenopontanis; & cùm nullum indè perciperet, medicorum pervolvendis operibus se dedit, ut saltem sic suis calamitatibus mederetur. Hoc cùm frustrà tentasset, ac muneri ineptus fieret, dubitare cœpit an non laboraret morbo præternaturali? Hancque ob causam experiri voluit, num fortè *præceptis diabolo in nomine Jesu datis*, curari posset. Dictum factum. Curavit se sic, ut annis 16 nullâ indiguerit medicâ ope. Hoc porrò cùm adeò feliciter sibi successisset, consilium iniit cum doctis, ut ait, expertisque *in benedicendo* viris, autoresque qui de exorçizando scripserint sibi comparavit, & suam suspicionem, quòd plures morbi & corporis calamitates autore diabolo generentur, in dies certiorem fieri deprehendit. Igitur rem

in parochianis tentans, curas tot tantasque edidit, ut fama *Helvetiam*, *Tyrolem* & *Sueviam* explens, singulis posterioribus annis plus 400, imò 500, ad ipsum in *Closterle* curandi convolarent. Indè, parochiâ relictâ, plura loca peragratus, diuturniore tempore *Elwange* tandem sub auspiciis S. C. R. Principis & Episcopi *Ratisbonensis* sua portenta *Ratisbonæ* perfecit. Scribitur vir optimi temperamenti esse, hilaris, ac juratus omnis melancholiæ hostis.

Miracula, vel portenta hujus sacerdotis, multi admirati sunt, verisque miraculis adscripserunt: haud pauci autem sive superstitioni, sive mimorum, atque agyrtarum fallaciis eadem tribuerunt. Orta hinc libellorum ingens series: quorum autores, aut ipse *Gasnerus fuit*, atque ejusdem admiratores, aut viri alii sive catholicæ, sive protestantis Religionis, acriùs hi, mitiùs illi *Gasnerum* refutantes; denique extracta *Protocolli Episcopalis Ratisbonensis*, quæ accuratè omnes notarunt *Gasneri* processus. Cùm me de miraculis scripturum, accuratæ horum notitiei interesset, hos libellos mihi jam N°. XXII comparavi, quæ deindè ad LIV numerum accreverunt; multasque litteras, atque notas eorum

possideo, qui hujus presbyteri operationibus se aliquoties, nonnunquam pluribus subsequentibus diebus, imò ad dies 20 usque, præsentes steterunt. Authentica cùm maximè mea historia erit, utpotè maximam partem, aut ex ipsius thaumaturgi opusculis, aut ex episcopali extracto, summorum in Ecclesiâ, & republicâ virorum testimoniisque ac sigillis confirmato petita.

Ac primò quidem *exorcistam* se ipse appellat, qui vi potestatis, ab Ecclesiâ cuique in ordinibus minoribus conferendis datæ, morbos non naturales, sed dæmoniacos, scilicet a dæmone, haud verò a turbatâ naturâ, genitos fuget ac tollat, potestatis, inquit, quâ uti omnes Ecclesiastici, cùm exorcistæ quondam ordinati sint, omninò possint, si qualem ipse, talem & illi fidem haberent: imò & notos sibi nonnullos esse, qui simili fide pollentes, eamdem in dæmones exercerent potestatem.

II. Morbos itaque in *naturales* & *dæmoniacos* primò dispescit; hosque posteriores adeò frequentes esse censet, ut medicis salsè irrideat, quòd à suo patre *Hippocrate*, in nostra usque tempora, morborum omnium pathologiam *naturalem* dederint: indè petendam causam

esse, cur tam paucos hi, tam innumeros ipse curaret. Esse tamen fatetur morbos complures mistos, quos partìm Sathan, partìm natura gignat; in hisce medicos quod à naturâ, se quod Sathanæ opus sit, abigere posse. Asserit veros dæmoniacos se curare innumerabiles; nec non alios quos non obsessos, sed *circumcessos* a diabolo vocat: *circumcessos* eos esse, in quibus diabolus morbos producit, quos alias per se gignere communis omnibus mortalibus calamitas, aut fatum soleat: eosdem quippe facie externâ hos morbos, diversâ licèt causâ natos esse: ita ut convulsio, epilepsia, catalepsis, asthma, ortopœna, arthritis, podagra, cum omnibus arthritidis speciebus, colica, febris, paralysis, ankylosis, anemia, & quidquid ultra morborum sit, quemadmodùm sæpè a turbatâ corporis œconomiâ nascuntur, sic sæpissimè solum diabolum autorem habeant. Undè antequam *Gasnerus* suum inchoet opus, exorcismo, ut vocat, *probativo*, pertentare solet utrum, unitis naturâ ac diabolo autoribus, morbus natus fuerit; an verò solâ naturâ, solove diabolo? Exorcismos tamen hos *probativos* adeò certos non esse, quin eum fallant aliquoties candidè fatetur: undè ægros illos sæpè

non curat, si indè, & non à defectu fidei curandorum impedimentum fuerit.

III. Omnem autem suam curam se perficere asserit invocatione adorandi nominis benignissimi nostri Salvatoris J. C. ægrotantiumque in hoc nomen fiduciâ: ita ut reciprocâ hâc fide peragatur curatio; defectu verò hujus in ægrotante non peragatur.

IV. Hâc eâdem fide in sanctissimum Jesu nomen se jubere diabolum, ut morbum, nunc silentem, mox in ægro sibi exhibito producat, diu licèt siluerit; idque si velit, vehementissimè; protinùs autem, ut diabolum auferre morbum jusserit, mox illum dispelli: hoc semel, hoc bis, hoc quoties sibi placuerit, ut scilicet paroxysmum reducat, facere diabolum debere.

V. Eadem fide, & S. S. nominis invocatione, diabolum cogit, non modò ut quos ille jusserit in ægro producat morbos; sed etiam ut, se mandante, diabolus efficiat in ægro insultum *saltatorium*, eousque perseverantem, donec mandaverit diabolo, ut desinat; vel insultum *risorium* talem, ut donec *Gasnerus* silentium diabolo præcipiat, æger, in continuos vehementesque solvatnr cachinnos; vel in insultum *plora-*

torium, ita ut, quamdiù placuerit ipſi, in terrificos æger erumpat ejulatus; vel in iras, inve odia talia eos diabolus incendat, qualia nunquam in vitâ habuerint, hiſque adeò furentes eos reddat, utqui adſtant, ſibi, ne lædantur, cavere debeant; vel ut iis eos morbis afficiat, quos in vitâ paſſi necdum fuerunt, donec ipſe reddiderit, ubi voluerit, ſanitatem, vel ut pulſu ac reſpiratione eam referant mortis imaginem, ut moribundi, imò mortui appareant ſpectatoribus, donec mox ſuo imperio illibatam vitam atque ſanitatem reddat: hoc autem repetere ſæpiùs eodem die diabolo mandat, ſive in diverſis, ſivè quandò ſibi placet, in eodem, ſeu viro, ſeu fœminâ, ſeu delicatâ puellâ, citra detrimentum ſanitatis.

VI. Quin & ejuſmodi imperium in diabolum thaumaturgus poſſidet, ut ante & poſt meridiem, idque aliquandò duobus tribuſve conſequentibus diebus, ſpatio ſingulâ vice duarum triumve horarum, diabolum exerceat, reſpondere ad quæſita varia cogat, & ſi in reſpondendo fallat, cùm mendax & *pater mendacii* ſit, ut confundat eum publicè, torqueatque, donec ipſi, veri præſcio, veritatem fateatur.

VII. Statuitetiam *Gaſnerus* in obſeſſorum, circumceſſorumque corpore non unicum, ſed ſæpè numeroſum dæmonium ineſſe: neque quemadmodùm in Evangelio uſque ad legionem, ſed ad centum millia, ad millionem, ad milliones decem: hocque tam certò novit, quemadmodùm ex *epiſcopali protocollo* conſtat, ut cùm in obſeſſo quopiam, ubi diabolorum ibi habitantium princeps, de numero rogatus, eum millionum ſeptem eſſe mendax dixiſſet, *Gaſnerus* sciret eſſe mendacium; ſic ut demùm coacto per illum ſpiritu, & ſe in ſolo hoc homine numero decem millionum dæmoniorum ineſſe fatente, eum de veritate tandem prolatâ laudaret.

VIII. Rarò unicâ vice ſive poſſeſſos, ſive circumceſſos curat, ſed per horas ſæpè, ac per dies, ut in tranſitu monitum eſt, laborat: an quia id ſibi ita placet? An quia id ſæpè eſt tanti laboris?

IX. Miram familiaritatem cum dæmone contraxit, cùm tot protracta colloquia cum uno eodemque miſceat, & ſæpè de rebus alienis, quæ ad ægros, eorumque morbos & curas minimè reſpiciunt.

X. Non pollet hic præsbyter tantum-

modò expositâ in diabolum potestate; sed etiam longè aliâ & mirabiliori; cum jussu suo diabolus in animam hominum agere debeat, & in gravissima peccata illam præcipitare, dùm igitur corpori nocet, gravia, & sæpè *per se* lethalia symptomata excitando, animam præcipitat in summam, aut iram, aut vindictam, in odium implacabile, in desperationem, in blasphemias. Uti autem, imperante *Gasnero*, diabolus summos morbos in corpore in mortem penè usque, ac summa peccata & crimina in animâ hominis excitaverat; ita, jubente eodem, sic ab omnibus desistere actutùm debet, ut hominibus à thaumaturgo & à diabolo horrendum adeò in modum, idque iteratò, vexatis atque contortis, summa mentis tranquillitas, perfectaque redeat corporis valetudo.

XI. Haud ipse modò hac enormi potestate in sathanam gaudet, sed & jure ipsam cum ægrotantibus communicandi. Ita ut sæviente ad suum imperium diabolo in ægrotantes, *Gasnerus* hos jubeat, benedictum Jesu nomen cum fiduciâ invocando, fugare diabolum; isque protinùs conticescat, abeatque: quin monet illos, ut sive in itinere, sive domi, malum antiquum reducat hostis,

eum ſimili modo abigere ſtudeant. Ita ut hoc miraculoſum donum non modò ad lubitum exerceat, ſed & poteſtate id in millenos alios transferendi gaudeat: vel, ſi mavis, ut hâc poteſtate, tanquam exorciſta, ab Eccleſiâ donatus, ipſe, non ab Eccleſiâ, ſed â ſe, poteſtatem poſſideat in exorciſtas creandi laïcos omnes, qui ipſi in ſe, ut exorciſtæ, efficiunt idem, quod *Gaſnerus*, ut exorciſta, fecerat in illis.

XII. Non ſolùm morbos, animi pathemata, atque peccata, imò & blaſphemias producere in hominibus per diabolum *Gaſnerus* poteſt, ſed & omnes poſſibiles pulsùum varietates, ſic ut quemcumque pulſum medici adſtantes percipere elegerint, eumdem mox evidenter percipiant; magnum, parvum, fortem, debilem, remittentem, ad datum tempus intermittentem, myurum, modò quolibet inæqualem, citiſſimum, deficientem, eumque in eodem ægro toties & ſanum, & definito modo vitioſum, quotieſcumque Medici id ab eo petierint.

XIII. In ſuis curis peragendis deſcribitur passìm ſedens, cum *crucifixo* à dextris, ſiniſtro latere feneſtram verſus, vultu ad ægrum ſpectatoreſque conver-

ſus. Stola rubella a collo pendet, nec non argentea catena, a quâ crux pendula hæret, in quâ ait veræ crucis incluſam particulam eſſe: cingulum nigrum lumbos cingit. Hic conſuetus apparatus eſt; aliquando citrà illum res peragit ſuas. In hoc conclavi totum ſæpè diem, ſic ornatus, terit. Si cum nobilioribus & medici veniunt, hos ſolet ut aſſiſtant invitare. Genuflectit coram ſacerdote ægrotus. Cujatis ille ſit, rogat, qualiſque eum torqueat morbus? Excitat eum ad fiduciam in Jeſu ſanctiſſimum nomen, partem laborantem prehendit, conſuetuſque in eam morbus redeat jubet. Viſus eſt cingulum lumbalem, nec non muccinium fortiter fricare, ægrotantis caput & nucham manu contrectare, fricareque validè. Stolæ extremum affectis partibus imponit frequenter. Si, jubente eo, diabolus morbum mox vehementerque exſuſcitet in totum, vel in partem, vivæ ægrotantis in S. S. Jeſu nomen fidei hoc tribuit *Gaſnerus*; ſi tardiùs, mitiùſque obedit diabolus, hoc vel fidei debiliori; ſi diabolus nihil obedit, hoc vel fidei defectui, vel morbo naturali, minimè diabolico, adſcribere ſolet.

XIV. Singulis a ſe exorcizatis, &, ut ait, curatis, ad pharmaciam pergere

mandat, quæ in *Elivangen* unica erat, ut, ſtatuto ibidem pretio, vel quoddam oleum emant, aut balſamum, aut aquam, aut ſpiritum, pulverem, herbaſve, imò etiam annulos, quibus inſculptum ſit ſanctiſſimum Jeſu nomen; utpotè res, quibus ſingulis eſt ab ipſo peculiariter benedictum: emere autem eadem debent, ut, redeunte morbo, remedium quo fugaretur ſathanas præſto eſſet, quamvis centies & dixerit, & ſcripſerit *Gaſnerus*, ſolâ fide, quâ primùm fugatus ille fuerit, opus eſſe, ut fugatur denuò.

XV. Tandem horum miraculorum ſcopus, ſeu intentio, eſt: 1°. ut omnes Chriſtiani diſcant, quantæ virtutis ſit fides in S. N. Jeſu, eamque fidem perpetuò, dùm ipſis malè eſt, exerceant. 2°. Ut univerſa Eccleſia convincatur (innuere ſaltem hoc ſecundum & tertium *Gaſnerus* ſui diaboli reſponſis videtur,) quantum emolumenti ipſi ea ſocietas præſtare debuerit, quæ hoc ſanctiſſimo nomine, & appellabatur, & agebat. 3°. Ut coram univerſo orbe fateri cogatur diabolus, quantum detrimenti paſſus a binis retrò ſæculis ſit ab hâc ſocietate, quamque grata inferno ejuſdem diſſolutio ſit.

Has quindecim proprietates miraculorum hujus presbyteri ex authenticis, suprâ laudatis, libellis hausi; de industriâ ea enarrare omittens, quæ aut Catholici, aut Protestantes, qui ipsi adversantes, pluribus, ac forsan plusquam veris, contrà illum protulerint memorarunt. Notare unicè ea volui, quæ neque ipse, neque ejus fautores, inficias ire unquam poterunt.

Si hujus dicti Germaniæ thaumaturgi opera ad incudem revocare tentem, quemadmodùm *Capite IV* alia miracula dicta revocavi, viri sapientes indignabuntur in me, ut qui acta agam, qui æthiopem lavem, quandoquidem tantam sapiant hæc opera fatuitatem, vanitatem, temeritatem, immanitatem, impietatem, ut æternis potiùs tenebris sepeliri, quam posterorum memoriæ conservari deberent. Si omnes homines sic judicarent, memoriam illorum suffocasse, quam refricasse præstaret: verùm cùm summi in Ecclesiâ atque Republicâ viri ea ut vera miracula tueantur, suâque autoritate idem plebi persuadeant, necesse omninò est extrema tentare, ut quid de illis sentiendum sit demonstretur. Cogor præterea id facere, qui undique a Germaniæ philosophis ac me-

dicis, qui tractatum meum *de Magiâ* legerunt, meam ſententiam prodere inviter, ſeriòque admonear.

§ I. Miraculum eſt, ut ſupra conſtitit, » id quod Deus, ſive ſupra, ſive præter, » ſive contra conſuetum naturæ erdinem, » aut ipſe per ſe, aut angelorum ho- » minumve miniſterio facit ».

Prima ejus conditio eſt, *ut in verâ religione fiat*. Hanc conditionem explent *Gaſneriana*.

Secunda conditio : *Oportere eum qui verum miraculum edat, hominem eſſe qui veræ religionis, virtutumque cultu Deo gratus ſit. Gaſnerus* a quibus laudetur, & a quibus vituperetur habet. Deſcribitur in pluribus & ab aliis, & à ſe ipſo editis libellis, ut vir ſanus, hilaris, omnis triſtitiæ oſor, conviva amenus, & probus moribus. An probitatis ſignum ſit homines in iram, in vindictam, in blaſphemias per diabolum agere? An probi homines S. S. Servatoris nomen ad luſus admovent theatrales? Sed tranſeamus hoc : etſi minus haberet probitatis, vera miracula patrare poſſet; quia vera ea ſupra admiſimus, citra thaumaturgi probitatem.

Tertia conditio. *Serium oportere negotium eſſe, non ludicris, non mimicis ſocia-*

tum ceremoniis, ſed totum opus Deo dignum, ac Religioni decorum.

Ne hanc tertiam, quemadmodùm primam, & alteram, *Gasſneriana* habeant, multa vetant. Quid enim Deo dignum, quid Religioni decorum, quid ſerium, ea v. g. puella exhibet nobis, quæ in primâ hyſtericæ paſſionis revocatione inſultum patiatur *cantatorium*, die *ſingende Giggtern*, ita ut varias cantilenas, cùm ſacras, tùm theatrales, moduletur? Quid Deo & Religioni dignum, quòd eadem, ad invocatum Jeſu ſanctiſſimum nomen, in paroxyſmum *lacrymoſum* incidat, ita ut ejulatu referat damnatum flammis æternis hominem? Quid Dei majeſtatem redolet, quòd mox eadem puella ad invocatum idem S. S. Nomen in inſultum labatur *feſtivæ*, ut vocat, *urbanitatis*, ſurgenſque a latere ſacerdotis, & unum alterumque cubiculum perambulans, ſpectatorem quemque decorâ flexilis ſuæ machinæ inclinatione officiosè ſalutet? Quid ad honorem Dei, Religioniſque decorem, quòd, ſancto Nomine invocato, eadem inſultu *riſorio* afficiatur, atque riſu in immodicos cachinnos ſoluto offendat auditorium? An præterea hoc Deo dignum vocabimus, ut incidat æger in ſta-

tum moribundorum, imò actu jam morientium, ſic ut clament adſtantes, ipſique medici, patientem, aut mori, aut eſſe jam mortuum: utque terrificum hoc ſpectaculum repetatur ad nutum ſacerdotis? Numquid tandem in Dei honorem, aut in verum Religionis cultum, cedere autumet, quòd, ſe jubente, Diabolus unum ægrum in plenam æternæ ſalutis obtinendæ deſperationem, alium in horrendas blaſphemias optimo Deo imprecandas agitet? hocque, quoties velit, repetat? Inter criteria veræ à Dæmone obſeſſionis *Sacra Rota* ſtatuere intellectum omnium linguarum ſolet: in *Gasſnerianis* tam obſeſſis, quam circumceſſis, latinam intelligit nemo; ita ut, quandò ipſi lubet in nonnullis latino ſermone exorcizare, moneat homines velint mente tantum fidem erigere in virtutem adorandi Jeſu nominis, licèt nihil quid dicat intelligant: hoccine iterùm in majorem Dei gloriam cedere putat? Et ſi fides hæc ita neceſſaria ſit, ut abſque eâdem nemo curetur, interea tamen & infantes, & mente capti, exorciſmis ejus curentur; an tali mendacio Religionem condecorari cenſeat? Niſi forſan etiam eò temeritatis pervenerit, ut cenſeat, deficiente ægrorum fide, aut parentum, aut ſuâ ipſius exor-

cizantis fide, hunc defectum suppleri. Verùm tunc omnes oporteret curari, quod falsum; cùm innumeri ab ipso remittantur non curati, quorum causam fidei defectum ait esse, quodque a simplici vulgo credi minus miror, quam à viris nobilitate, dignitate, atque eruditione claris: imò etiam a veterano medico, qui cùm ab eo minimè curatus discessisset, ad me sic scripsit: « Ut *Elvanga* nudius » tertius redux, datam tibi fidem ocyus » solvam; scias velim quod redierim » idem, nec in deperditâ oculorum acie, » nec a terribili affectu, quo noctes adeò » molestas experior, & quæ a datis ad te » litteris tædiosissimè recrudescebant, » vel minimè sublevatus: non ob culpam » exorcistæ, sed propriæ, ut credo, » cùm fides firma forsitan defuerit mihi, » quæ ad abigendos insultus diabolicos » in exorcizando requiritur, quamvis om- » nia egerim, quæ desiderari equidem » poterant. Ultra vires proprias ascen- » dere non potui, cùm Omnipotens de- » negaverit gratiam ». Quid de illâ fide cogitem, nescio: suspecta saltem est; commoda tamen *Gassnero*, cum ejus admiratores potius Deum, quam ipsum, curâ deficiente, accusent. Hæccine ergò iterùm, in Dei, & an non potiùs in

Gasſneri honorem? Anilla crudelitas, & inhumanitas, pluſquam barbarica, Deo bono in honorem, Religioni manſuetæ in decorem cedit, quâ non paucos, ſed plures centenos ægros, qui morbi paroxyſmo vacui, ejuſdem radicis exſtirpationem ab illo petitum veniunt, diaboli, eouſque eorum carnificis immanis, ſævitiæ tantæ ſubjiciat, ut vel bis, ter, quater eumdem morbum præſentem ſiſtat, eâ ſæpè vehementiâ, quâ in vitâ nunquam; vel alios, quos nunquam adhuc paſſus æger fuerit, unum poſt alterum exſuſcitet; idque nonnunquam in oſtentationem plurium dierum, antequam barbarum ipſius cor ad quæſitum auxilium incipiat commoveri?

Exemplo evangelico audet abuti, quo dæmoniacus inſultum morbi, Chriſto præſente, patiebatur; haud attendit autem paroxyſmum in eum modo conſueto, haud verò imperante Chriſto, irruiſſe.

Profectò ſi omnia miracula Prophetarum, Meſſiæ, Apoſtolorum, Sanctorumque reliquorum, attentâ mente revolvamus, nihil in iis ſimile adparet. Ut hæcce cùm ægros, tùm ſpectatores, in ſummam divinæ Majeſtatis adorationem, venerationem atque amorem rapiebant, ita *Gasſneri* luſus theatrales, *Gasſneri* im-

pietates, *Gassneri* barbaries, nos in indignationem erga illum, & in divinæ longanimitatis, hæc tolerantis, admirationem ducunt.

An tandem Deo & Religioni dignum, quòd homines, quos curatos ait, ad pharmaciam mittat, medicamenta & amuleta emendi causâ? An qui vero miraculo curati, hisce unquam indiguisse leguntur? Equidem in Evangelio notatum est apostolos ac discipulos Domini ægros, oleo inuncto, tanquam ipso miraculi instrumento, sanasse; haud verò id, aut dedisse, vendidisseve, post curationem miraculorum. Nonne in legitimam suspicionem incidat *simoniacismi*, quòd cum suo pharmacopæo, qui ducentos emptores simul quandoque salutat, turpiter colludat?

Quarta conditio: *Oportere notum esse finem, eumque bonum, ob quem miraculum fiat.*

Explicui hoc suo loco pag. 79. Sacerdos *Gassnerus* ait finem suum esse primò, *ut de virtute invocationis S. S. Nominis Jesu omnes Christiani convincantur.* Si, eâ de veritate quædam esset inter Christianos disceptatio, posset eam Deus, si vellet, miraculis confirmare, quemadmodum in aliis disceptationibus fecit:

cùm verò Christiani omnes fateantur, *Actor. IV. non esse in alio aliquo salutem, nec aliud nomen esse sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* & cùm omnes Christiani sciant, *Philip. II. Deum unigenito suo filio dedisse nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum*, nulla ratio existere videtur cur Deus miraculo, miraculis, miraculorum myriadibus, hanc omnibus patulam atque admissam veritatem ostendere, ac confirmare vellet. Saltem contra consuetum Dei in patrandis miraculis ordinem hoc foret. Objiciet quis, hæc miracula esse hoc tempore summè necessaria, ut qui existentiam, ac divinitatem secundæ personæ SS. Trinitatis negant, convincantur: adeòque me falsò concludere, quod hoc tempore necesse non sit, ut virtus SS. hujus nominis miraculis confirmetur.

Resp. I. Existentiam & divinitatem J. C. numerosis adeò, ac dignis, decenterque factis miraculis, confirmatam esse, ut qui eamdem adhuc negare ausus fuerit, ridiculis saltem hujus viri portentis, ad eamdem confitendam permoveri non possit.

Resp. II. Si quis J. C. divinitatem neget, ejusdemque nominis invocatione

homines in deteſtanda odia, in ſuæ ſalutis deſperationem, inque horrendas blaſphemias adigi videt, eò obſtinatior negabit eum eſſe Deum. Conſequitur ergò ut potiùs in Deiſtarum obſtinationem, quam convictionem *Gasſneri* facinora tendant.

Alter finis Gasſnerianorum miraculorum eſt, *ut Eccleſia tota videat quam ob cauſam, à quâdam ſocietate tantum emolumenti tulerit*: à ſocietate ſcilicet, quæ tanti hoc nomen fecit, ut eodem voluerit appellari, utque idem inſcriptum, vel pictum ubique haberet ac veneraretur, in templis, in ſcholis, in cubiculis, in lectis, ad januas omnes, in horto, in prato, in geſtatis ſecum imaginibus & chartis.

Tertius horum miraculorum finis eſt, *ut cogatur diabolus publicè fateri, quantum emolumenti inferno, & quantum detrimenti Eccleſiæ, ſocietatis diſſolutione acceſſerit.*

Hoc in pluribus occaſionibus diabolus, *Gasſnero* faſſus eſt, ſed nunquam apertiùs quam anno 1774. die 8 Dec. prout ex actis & protocolo epiſcopali hîc verbotenùs dabo.

Femina 23. ann. à diabolo obſeſſa in ſcenam prodit. Tota hiſtoria in protocollo in ſeptem actus, (auftritt) dividitur. In primo actu dicit diabolus: *novi*

me

me hodie ex hac maledictâ creaturâ, idque tuo, odibilis ſacerdos, juſſu diſcedere debere, in honorem immaculatæ conceptionis Mariæ. Notetur fuiſſe eo die feſtum ipſum hoc. In actu autem ſexto ſic loquitur ſacerdos: *Adjuro te, ut dicas mihi quos præcipuos inimicos in cœlo habeas.* Reſpondet diabolus, horrendo ejulatu ſe convolvens: *Præter Deum, creatorem meum, divinam Virginem, Michaelem archangelum, S. Joſephum, ut Chriſti nutritium, ac patrem Ignatium, cujus filii quidem ſummo deſpectui apud mortales nunc ſunt; novena tamen devotio multa mihi animarum millia in mundo eripuit. Vos o homines, ipſâ hâc Jeſuitarum diſſolutione ab unâ parte magnum Eccleſiæ fulcrum perdidiſtis, ab alterâ notabile mihi lucrum conciliaſtis.* Sacerdos: *Dubio procul ad hoc ingens infortunium ut plurimùm contuliſti, nonne?* Diabolus: *Sic falſus rumor fert: ſed NN. me ad hoc opus haud indiguerunt.* Sacerdos: *Interim hoc ſibi ipſi perſuadere plerique voluerunt.* Diabolus, poſtquam demiſſiore voce dixiſſet: *Necdum ſacrificus execrabilis deſiſtit me interrogationibus præſagis ſuis torquere!* mox elatâ voce: *Imò*, inquit, & *me hujus omnis tumultus, confuſioniſque, in ſingulis quatuor orbis partibus, autorem eſſe,*

firmè credas. Sacerdos: *Et hanc ipsam ob causam tandiu te Deus castigabit, donec ego jussero ut castigatio cesset.* Eo momento Sathan tam horrendos edidit ejulatus, ut nonnisi cum summo horrore exaudire illos possent adstantes: imperante tandem sacerdote, mox profundum silentium: *Jubeo nunc*, inquit ille, *ut in honorem immaculatæ conceptionis Mariæ osculeris pavimentum.* Quo protinùs a dæmone peracto, *en*, inquit, *jam per vos videtis, quomodò spiritus infernales mandato, in Jesu nomine dato, obedire cogantur.*

Suspicabitur forsitan quis, minus æquè à me hanc alteram & tertiam causam *Gassnerianorum* portentorum poni: videri potiùs non de industriâ, sed fortuitò intercedisse de societate sermonem: dùm enim tot repetitis horis in eodem ægro diabolus sacerdosque confabularentur, mirum non fuisse, ut deficiente materie, sermo in res incideret, de quibus agendi propositum neutri fuerat. Ast verò ego putem ad ea potius quæ veluti casu, quam quæ deditâ operâ contigerint, oportere attendi. Etenim quos hic enumero *Gassneri* fines, hi ipsi, nisi me vehementer animus fallat, longè alios habent, sed hucusque absconditos fines: qui *Gassneri*

operationibus, majorem autoritatem adeptis, patebunt. Quid enim aliud, amabo, concludam, quandò video jam dudum animos præparari in irreverentiam indignationemque erga potestatem ecclesiasticam; jamque hisce diebus, quod ex teste fide dignissimo habeo, erga potestatem politicam? Sed gratulor Imperio Romano: audio hoc momento augustissimi Josephi II, deliciarum generis humani, autoritate prohibitos suos sibi exorcismos *Gassnero* esse.

Finis quartus ostentatio est. Jam à principio propriæ gloriæ avidum hunc presbyterum fuisse *Em. Card. de Roth, Ep. Constantiensis*, haud ita pridem vitâ functus, acerbè conquestus est; licèt *Gassnerus* in posteriore quodam libello diffamatorio, vel ab ipso, vel ab insigni ejus amico, in *R. P. Stertzinger*, summum adversarium confecto, de benevolentiâ, gratiâ & existimatione eminentissimi hujus principis erga se vehementer glorietur. Extat nihilominus cardinalis epistola, cui fides potiùs quam diffamatorio libello; maximè cùm in eodem contra hanc epistolam nihil dicatur, adeòque authentica habeatur. Extat germanicè. Eminentissimus cardinalis testatur « in primo cum illo colloquio haud sanè multum ad pietatem se

» excitatum fuisse, eo quòd parum admo-
» dùm ejus, quod ecclesiasticum deceat,
» ab eo percepisset, sed indesinentem
» potiùs sui ipsius suarumque curarum lau-
» dem : libellum ejus manuscriptum &
» legisse se, & suis theologis legendum
» dedisse : in eo aliquid boni hinc indè
» se quidem invenisse, at verò quoque
» plures, easque ponderosas rationes in
» eo deprehendisse, quæ impedirent ne
» metu deterioris eventûs in suâ diœcesi
» typis mandaretur. Tandem solius Dei
» omnipotentiam auxiliari hominem posse:
» homines ad id infirma instrumenta esse:
» hos homines cùm perraros esse, tùm
» insignes Dei amicos esse oportere: in-
» terim omnem omnium honorem tri-
» buendum esse Deo soli : cujus ingenua
» confessio sibi longè majori in pietatem
» excitamento fuisset, quam ea perpetua
» suî gloriatio, diffusiorque ingentium
» suarum in *Salem* curationum enarratio. »
Ipsumque idem non adversariorum tan-
tùm, sed amicorum libelli confirmant.
Profectò si veram habeat curandi potesta-
tem, quidni eamdem, quemadmodum pro-
phetæ & apostoli illam exercuerint, exer-
ceat? Cur primò per horas & dies in suî
admirationem spectatores rapit morbum
silentem revocando, imò morbos qui

ægrum nunquam torserint in eum convocando? Cur per diabolum, ut ait, ægros in ridiculas, & cum reverentiâ erga S. Servatoris nomen minimè conciliandas gesticulationes adigit? Cur hominem, qui dicebatur *choreâ S. Viti* laborare, in ridiculum, atque huic morbo proprium saltum, excitari a diabolo jubet, quo excitato, post adorandi Nominis invocationem, & ipse impensè riserit, & plebs spectatrix omnis soluta fuerit in cachinnos? Profectò ad *conditionis tertiæ* explicationem supra jam conclusimus ex vanâ gloriâ, defectuque in re divinâ gravitatis, miraculum aliquod *verum* dici non posse.

Quintus finis ac scopus miraculorum *Gassnerianorum* est diaboli cum hominibus commercium, contra idem negantem *R. P. Ferdinandum Stertzinger*, *Theatini ordinis*, ex ore & testimonio diaboli demonstrare. Rev. hic vir negaverat hoc commercium, omnemque diaboli, si non existentiam, saltem in genus humanum potestatem; in eo tantùm culpandus, quod plebis hâc in re superstitionem ostensurus, millenarum historiarum planè fabulosarum falsitatem, (quemadmodùm ego quoque in meo *Tractactu de Magiâ*,) perspicuè indicans, simul totum hoc com-

mercium, propter tot ac tanta ementita, omninò negaverit. Porrò, ad refellendum hunc R. Patrem, diabolo *Gasſnerus* opus habet, quo ille in dicta ſibi energumena eum proſtituat auditorio: dabo quædam ex protocollo epiſcopali anteà laudato: in primo actu rogat ille diabolum, nemone *monachii dæmones fugandi poſſideat artem?* Reſp. diabolus: *Ne unus quidem: debuiſſent ſacerdotes monachienſes eam in tuâ ſcholâ didiciſſe, quorum vix ſint qui energumenos dari concedant; quam ob cauſam hanc miſeram creaturam auxiliis planè naturalibus curare anniſi ſunt.* Gasſnerus: *Quiſnam anteſignanus erroneæ hujus de ſpiritibus ſententiæ ibi erat? Dic mihi ingenuè.* Diabolus: *Eſt ille nominatus NN. & ſagas negans, & ſathanam. Utinam incredulus hic eſſet præſens; poſſeſſos à dæmonio dari convinceretur, neque medicis ultrà hi, veluti morbo naturali laborantes dicerentur. Gaviſus audiebam eos pronuntiantes hancce non à diabolo, ſed ab hyſterico malo captam eſſe: modò verò dæmones dari credent, quandò hanc ſanam monachium reducem videbunt.* Et in actu ſeptimo, cùm petiviſſet *Gasſnerus* cur ſathan ſarcaſticè rideret? *Quid*, reſpondet ille, *non riderem, cùm tot ſacerdotes, viroſque eruditos, hoſque inter*

ingenio acutum NN. in meas partes tranſcendiſſe videam? Meâ ſententiâ indignus hic vir eſt, qui peragat ſacrum quotidiè: aſſero eum vel præſumptuoſum virum eſſe, vel verè energumenon. Seriò ac religiosè ut hic diabolus loquitur ita id confirmat in actu octavo, in quo rogatus quem in finem in *Sueviam* appulerit, *ut monachienſes diſcant*, ait, *verè diabolos dari; ſcilicet* ut melius ſuam religionem diſcant diabolus ſollicitus eſt!

Quinta conditio vel criterium miraculi eſt, ut intrepidè ac confidenter fiat. Expoſui, & quâdam cum exceptione hanc conditionem admiſi. Intrepidus profectò, ac confidens eſt ſuo in opere noſter *Germaniæ* thaumaturgus. Quid ſi plus quam decet? Donum miraculorum, donum Dei eſt, donum &, ut ſcholæ dicunt, *gratia gratis data*, quam pro arbitrio dat aufertque homini; uno tempore largitur illi, alio demit. Conſtitit in apoſtolis & diſcipulis Domini: uno tempore dono prædicationem miraculis confirmandi donati, *exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent; & dæmonia multa ejiciebant; & inungebant oleo multos ægros, & ſanabant:* attamen defuit ipſis omninò hæc poteſtas in lunatico *Marci IX*. Quis miraculis clarior *S. Martino*? Haud pla-

cuit Deo tamen, ut hoc dono ita perpetuò inclaresceret. Ex quo cum *Ithacianis*, quod ipsi non licebat, ne tamen innocentum sanguis effunderetur, communicasset, *Sulpicius Severus* ejus discipulus scribit, ipsum S. Virum testatum esse ex eo tempore hanc virtutem in se fuisse imminutam, vide *Fleury libr. XVIII.* Sancti omnes, hoc dono pollentes, minimè se, sed Deum pro suo beneplacito per se operantem agnoverunt, neque peculiariter illo volente, se ulla miracula edere posse. Noster presbyter verò id inseparabile existimat ab ordine exorcistæ, quo semel ab Ecclesiâ donatus fuerat. Sed apostoli erant exorcistæ creati a Domino; *S. Martinus* ab Ecclesiâ; virtus tamen miracula edendi, & potissimùm energumenos sanandi, & huic, & illis quandoquè defuit. Neque legimus pios episcopos, & sacerdotes putasse se, quà exorcistas, hoc miraculorum dono pollere debere. Nullibi id sancitum ab Ecclesiâ est. Simplicesque admodùm Ecclesiæ ceremoniæ, atque penitùs religiosæ & divinæ sunt, quibus in conferendo baptismo, & in obsessis a corpore animâque hominum dæmonem fuget: demonstrant id sacræ eum in finem orationes, conjurationes, imprecationes. Audax noster sa-

cerdos proprio marte ceremonias fingit ineptas, ridiculas, Deo indignas planè, ac temerarias.

Conditio ſexta. Verum miraculum oportet integrum eſſe, atque conſtans. Suo loco pag. 83, hanc conditionem expoſui. An *Gasſneri* prodigia hanc conditionem explent? Hoc omni ex parte ex epiſtolâ *em. cardinalis de Roth*, ſupra laudatâ non conſtitit; qui & addidit: « Suum epiſco-» pum ſuffraganeum ad ſe ſcripſiſſe, quòd » minimè ſe ita haberent illæ curæ, quas » *Morsburgæ* a ſe patratas, apud ſuam » eminentiam gloriatus eſſet *Gasſnerus.* » Imò multas curas, aut imperfectas, aut nullas fuiſſe *epiſcopalia protocolla* habent. Sunt equidem multæ munitæ teſtimonio ac ſigillo virorum in Eccleſiâ & republicâ principum, ſed an indè curationum integritatem, atque conſtantiam demonſtratam quis putet? Teſtes illi referunt miras geſticulationes ſacerdotis, morborumque ad illas in multis ſilentium, haud verò, ſaltem plerorumque, perfectam curationem. Neque enim, ſi voluiſſent id teſtari, non potuiſſent. Æger bis ter in anno, ſemel omni triennio, aut podagrâ laboravit, aut aſthmate, aut colicâ, aut epilepſiâ, aut cephalalgiâ, & morbi paroxyſmo a diabolo, imperante *Gasſnero*,

denuò affligitur, eoque silente, domum abit. An qui ita de hisce testimoniis gloriantur, hos ill. episcopos, hos principes celsissimos, hos excellentissimos comites, abbates, præpositos, canonicos id testari voluisse prætendunt, ut omnes illi nunquam periodicorum morborum insultus ultrà passuri sint? Ridendos certè se illi præbuissent. Dies dabit quod hora negat: & si qui sint quibus necdum rediverit paroxysmus, testimonia publica eorum quibus repetierit, exstant.

Ad hæc noster sacerdos respondet, licet *probativo* exorcismo gaudeat, naturâne ipsâ, an genitore dæmonio morbus natus sit internoscendi; aliquandò tamen se falli: hinc semper se duplicem deficientis curæ causam docuisse: primam hanc *probativi* sui exorcismi raram fallaciam, cujus brevi conscius fieri solet; alteram, aut penitùs deficientem, aut non sufficientem saltem fidem. Subterfugium hoc inane videtur. Veteranus medicus, de quo suprà dixi, exemplo esto. Hic a principio operationum, ad finem usque, diabolico morbo laborare a *Gassnero* statuitur, sic ut dicto suo *probativo* exorcismo falsus non fuerit: idem & suam fidem in exorcismos *Gassneri* tribus ad me epistolis testatus est, & quidem tan-

tam, quantam excitare potuerit. Hic ergo nec fefellit exorcismus explorans, nec defuit fides; alioqui vix unquam quis habuisset fidem sufficientem. Judicet jam æquus lector de hoc subterfugio.

De septimâ miraculi conditione, quæ testes spectat, sat superque dictum mox in *sextâ* fuit.

§. I. Si ex defectu plurimorum miraculi criteriorum tutò concludere & mihi, & multis videar thaumaturgi Germaniæ portenta vera miracula non esse; sique id illis ipsis regulis conclusi, quarum ope falsa miracula à veris discriminat Ecclesia, en mox obruor multorum hominum, eorumque qui in hisce se esse versatissimos gloriantur, argumentis multiplicibus, quæ gravia esse putant, palmaria, indissolubilia.

Ac primò aiunt in virtute Dei, ejusque sancti Nominis invocatione, quæ miracula fiunt, viresque humanas transcendunt, vera miracula esse: hoc demonstrare putant ex *Cap. IX Marci*, ubi legitur: *Respondit illi Joannes dicens: Magister, vidimus quemdam in Nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibimus eum. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum, nemo est enim qui faciat virtutem in Nomine meo, & possit citò*

malè loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Ut hic textus ritè explicetur, priùs cum alio ex *Cap. XIX Act. Apost.* comparandus est. Legitur autem ibi sic: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebatur. Tentaverunt autem quidam de circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ, principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. Respondens autem Spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illâ. Hoc autem notum factum omnibus Judæis atque Gentilibus qui habitabant Ephesi; & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jesu.*

Si binos hos textus conferamus, videmus Deum approbare miraculum, quod in nomine ejus ignotus apostolis vir fecerat: & Deum effecisse ut quod septem

principis ſacerdotum filii ejus divino Nomine, ejus ipſius, quem *Paulus* prædicabat, patrare miraculum vellent, non fieret; licèt viderentur eodem in caſu eſſe quo ille exorciſta evangelicus, quia non erant *adverſum apoſtolos*, ſed *pro eis* publicè: *adjuro vos*, aientes, *per Jeſum, quem Paulus prædicat.* Sed vel Deus & illius bonum, & illorum pravum animum novit: vel ſine hoc per illum, & minimè per illos, dæmonia ejici voluit: equidem cùm non ejecerint dæmonem, amici *Gasſneri* dicent, & *Gasſnerus* ejiciat; concidit tota textûum comparatio, id verò non putem: quandiù non conſtat *Gasſnerum* unquam ejicere dæmonem, tandiu *Scevæ* filiis ſimilis eſt, qui Dei ſancti Nominis invocatione dæmonem ejicere fruſtrà tentat, ut mox meridianâ luce clarius apparebit.

Igitur invocatio Nominis Jeſu nihil hucuſque facit ad hujus presbyteri operationes verè miraculoſas declarandas. Nihil profectò nos hâc ſententiâ turpius & infelicius decipere ac ſeducere poſſet. An in *tractatu de Magiâ* non oſtendi Dei nomine, ac ſacris ceremoniis ſacrilegos homines ad impietates abuti? Nolo memorare hîc nefandum hujus exemplum, quod haud ita pridem in his terris deteſ-

tati, & execrati ſumus. Et ut aliquid notius in medium proferam, tradam quid de impio homine *Joanne Schropfer*, qui poſt multos execrabiles actus anno 1774, die 8 Oct. in *Roſental*, ſylvâ prope *Lipſiam*, ubi impietatem ſuam jam inchoaverat, ſe ſclopeto occidit; ille deteſtandus homo, prout teſtes idonei qui pluries ex impermiſſâ curioſitate ejus impietatibus adſtiterant ſcripto communicarunt, actus ſuos incepturus, calceos pedibus exuit, & in genua provolvebatur, quod utrumque & aſſiſtentes præſtare debebant: digitos duos aperto *S. Matthæi evangelio* imponebat, & maledixit omni divini nominis abuſui.... SS. Trinitatem & benigniſſimi Servatoris nomen ſæpè invocabat;.... crucifixum ſemper manu geſtabat;.... exorciſta erat, cùm, ut aiebat, ordinem ſacerdotis olim in catholicâ Eccleſiâ ſuſceperat, ideò & candelis ad ſuum opus neceſſariis benedicebat &c. &c. Interim cum SS. Nominis invocatione, & ſacris ceremoniis, ſummas peregit impietates.

Ergò ille primus actus *Gasſneri* invocationis divini Nominis, imago crucifixi, & aqua benedicta, per ſe necdum quidquam faciunt ad veritatem miraculi demonſtrandam, quandiu reliqua deſint.

§. II. Audiamus nunc ultra ejus patronos. Miraculum verum esse omnem *Gassneri* actum demonstrat orbi universo ejus in sathanam absoluta potestas, tam in possessos, quàm in circumcessos ab illo.

Respondeo 1°. me hanc potestatem ipsi concedere non posse. Ac primùm non admitto ejus divisionem omnium morborum in morbos 1° verè diabolo obsidente natos, 2° in morbos naturales a diabolo genitos, 3° in morbos a solâ naturâ natos, & tandem 4° in morbos mixtos, quos sathanas partim, partim causa naturalis gignit. Arbitraria prorsum hæc divisio est, quam neque ex sacrâ Scripturâ hausit, neque ab Ecclesiâ didicit, neque ex medicorum observatis collegit. Nullibi quid simile sacra Scriptura insinuat. Agnoscit quidem sacra Scriptura & Ecclesia, diabolum verè obsidere hominem posse; nec non hominum corpori, Deo id quandoquè, ut in *S. Jobo*, permittente, nocere: minimè verò sic, ut morborum infinita series aliquandò pro parte, ac plerumque omninò diabolum autorem haberet. In medicinâ nihil demonstratius est, quam omnes notos hucusque morbos, æquè acutos quam chronicos, causis deberi naturalibus, ac, quandiu curabilitatem admittunt, auxiliis è naturæ sinu petitis cu-

rari. Sic ut æquè ſuperfluum quam ridilum ſit illorum, & in cauſâ, & in curâ admittere diabolum. Diviſio ergò hæc & omni autoritate caret, & experientiæ quotidianæ adverſatur.

Reſpondeo 2° falsò credit ſacerdos noſter energumenos ſuos dæmone verè obſeſſos eſſe. Vix *Ehvangæ* pedem figens, jam 20 verè obſeſſos ſe curaſſe jactabat: quantuſne eorum in anno numerus erit! Ipſe hic numerus, & dæmoniacorum quorum totam hiſtoriam *epiſcopale protocollum* dedit, examen, hanc *Gasſneri* falſam ſuppoſitionem eſſe oſtendet. Frequens in Auſtriâ 20 abhinc annis dæmoniacorum rumor erat, verèque eos dæmoniacos eſſe haud imperitum vulgus modò, verùm etiam cùm ſapientiores, tùm ſimpliciores haud pauci, quid enim veritatem neceſſariam ſupprimam? eccleſiaſtici aſſerebant. Rumor tandem permovebat ipſum thronum, adegitque auguſtiſſimos Franciſc. I & Mariam Thereſiam, ut convicti quidem de casûs rarioris poſſibilitate, nunc verò eum propter frequentiam ſuſpectum fraudis habentes, hoſce in meum Noſocomium ducendos, & a me diligenter examinandos eſſe juberent. Quid autem examine facto conſtiterit, in horno meo opere *Parte V* & *Parte XV*

descripsi, ad quos, ne opusculum fiat debito voluminosius, remitto lectores. Erunt hi, ni fallor, convicti, me sic egisse, ut 1° plenè admitterem tanquam irrefragabile dogma veram diaboli dictam possessionem, idemque mactè contra vel incredulos, vel in verâ religione præsumptiores, propugnasse; 2° me examine difficile, & laborioso tentamine, eò pervenisse, ut demùm omnes astutam suam malitiam faterentur; unaque femina præsertim, quæ toto 18 annorum spatio Ecclesiæ, & magistratui *Linziensi*, mirâ suâ dæmoniacam fingendi dexteritate imposuerat. Detectæ fraudis fama latè vagans effecit ut nunc profundum sit de obsessis silentium.

An *Gassneri* feminæ, quas dæmoniacas fuisse asserit, tales fuêre? Negabit quisquis illarum binarum, quarum historiæ duntaxat *fusè* traditæ sunt, moderato animo legit. Puella *monachensis*, pictoris filia, vixdum 16 annos nata, tanquam dæmoniaca ab exorcistis circumferebatur. Immundum ex illâ spiritum pepulisse dicebatur *Rev. Capucinus*; in que suæ expulsionis argumentum quinque nigras indelebilesque maculas, in album supra januam parietem impressas reliquisse per

hibebatur diabolus. Porrò arte pictas easdem maculas fuisse *R. P. Sterzinger* detexit, & publicè demonstravit. Judex fuci conscius, misit puellam in ergastulum, in quo, ubi malitiam suam sponte confessa erat, ad laborem annuum damnabatur. Reddita expleto anno parentibus, passione hystericâ vexata nonnunquam fuit: famâ autem *monachium* penetrante *Gassneri*, resumsit animos, ac dæmoniacam se denuò mirâ suâ astutiâ finxit, fidem invenit. Sacerdos exorcista illam *Ehvangam* duxit, suâque sacerdotali fide asseveravit eam à dæmone integro sexennio obsessam, & in ergastulum immisericorditer trusam fuisse. Crudelitatem hanc damnans *Gassnerus*, pronuntiavit & verè dæmoniacam juvenculam esse, & reos peccati mortalis, qui id negarent, declaravit: undè hic more suo curationem aggressus, diabolum per pedem ejus dextrum expellere se publicè simulavit.

Alia femina 24 annorum dæmoniaca dicta, sacerdoti sistitur. Hic solito more interrogare, convulsiones hystericas excitare, & agonizantis effigiem inducere, moribundam sic referentem, ut qui duo astabant medici, pulsum testarentur ferè expirantis; jubere tandem ab eâdem mox

exeat ſathan; qui ex dilatato ore moribundæ, ab adſtante homine dicebatur da lacunar ſibi videri oberrare.

Haſce duas hiſtorias non habeo ex *protocollo*, ſed ex *Tractatulo R. P. Sterzinger*; ejuſdem tamen autoritatis eſſe, ac ſi ex *protocollo* deſumptæ eſſent, judico; quia *Rev. Theatini* antagoniſtæ, qui omnes ejus tractatus ad ipſas uſque minutias refutare conati ſunt, nihil contra veritatem harum hiſtoriarum oppoſuerunt: tacendo ergò confirmarunt. Tertiæ dæmoniacæ caſum, aquâ 10000000 dæmonum *Gasſnerus* expulit, ex *protocollo* ſupra retuli.

Hos tres caſus, an quis me præoccupatum cenſebit, falsò dæmoniacos ab illo vocari, me concludentem? Crediderim potiùs, ſi hos homines dæmonio vero obſeſſos dicerem, lectores meos ſuſpicaturos fuiſſe, ne famâ publicâ raptus, omnis judicii, omnis rationis, omnis experientiæ eruditioniſque jacturam unà feciſſem. Interim cùm ſufficiat ſuperſtitionem alere vulgi, dæmoniacorum formidando agmine ſuo *Gasſnerus* artificio *Germaniam* opplet.

§. III. Si adhibenda fides diverſorum relationibus eſt, quas ſive ex impreſſis, ſive ex ſcriptis collegi, ſacerdos noſter morbos febriles atque inflammatorios

producere in homine diaboli auxilio potest, atque actutum eosdem sic genitos percurare sic, ut mox sanitas illibata adsit: at verò hos eosdem morbos hominem a principio affligentes, ipsique a principio exhibitos minimè sanat. In cunctis enim libellis, epistolisque quas legi, nondum nisi lentos, chronicos, atque periodicos morbos, ipsi exhibitos fuisse inveni. Febrilesne, inflammatorios, atque exanthematicos, sic sola natura gignit, ut eosdem in homine, absente *Gassnero*, diabolus nunquam generet? Hiccine ita coërcita atque limitata sathanæ potestas est, ut hos febriles atque inflammatorios morbos, totâ suâ virtute atque malitiâ, homini creare, nisi *Gassnero* imperante, numquam possit? Augerene hic diaboli potentiam ita potest, ut per illam diabolus ea, ipso jubente, præstet, quæ angelicâ suâ, humanis viribus adeò superiore, virtute præstare numquam potuisset? Sed nova hîc quæstio nascitur. Diabolus, jubente presbytero, generat omnes notos in mundo morbos; genitosque, eodem mandante, ita sistit, ut sequatur sanitas. Sed hi exsuscitati morbi describuntur perfectè iidem esse per omnia cum illis, quos sola natura generat: hosce porrò diabolus gignit eodem modo quo natura: debet

easdem ponere in corpore causas a quibus producit eosdem natura. Imitatur igitur naturam, & productos sic, ablatâ causâ, tollit. Quæritur nunc, cur *Gassneri* diabolus non curet morbos a naturâ genitos, quia ille apprimè novit quibusnam causis natura morbos in corpore producit; hac causas naturæ imitatione in corpore producendo, producit morbum, qui ut ovum ovo cum naturali morbo convenit; has causas tollendo, tollit morbum. Si vera narrasset *Gassnerus*, indubitatò sequeretur, eum per diabolum æquè facilè morbos naturales, quam diabolicos curare debere, ac falsas esse quas deficientis hujus curæ rationes afferat. Sed absurditatum satis!

§. IV. Expectabunt demùm lectores mei meam de miraculis *Gassnerianis* sententiam. Condonent, quæso, mihi, si ego illorum sententiam expectem. Etenim vel Deo tribuenda sunt; vel viri admirandæ astutiæ; vel Sathanæ auxilio. Primum nemini in mentem, opinor, veniet, qui ea Deo indigna, veræ religioni adversa, & plebi scandalosa, ex scriptis authenticis relata hucusque, attentâ mente recolit. Superest igitur ut, vel mirâ industriâ, vel diaboli ministerio, miracula æmuletur. Quid porrò non fecerit aliquandò astutia, calliditas, vafrities, quâ

homines fraudulentâ arte exercitati, per annos vulpinati fuerint, æquè antiquæ quam recentiores historiæ docuerunt. Constitit 1° homines vafros subornasse alios, qui memoriter responsa, in habendo colloquio danda, tenerent; qui personatos morbos eruditè fingerent, sicque populo persuaderent, vel extraordinariam, vel miraculosam, quam viderat, esse curam. Si omnes *Gassneri* ægri cum ipso vicini cohabitarent, si omnes essent ejusdem cum illo vaframenti; si paucus admodùm horum numerus esset; aliquid simile hîc sublitescere suspicari quis posset: at verò quandoquidem illum centeni conveniunt, quibuscum nullum unquam commercium nec habuit, nec habere potuit; centeni homines variarum religionum, candidi, sinceri, fraudis proindè expertes omnis; homines denique adeò numerosi, ut aliquot millium numerum excedant; nemo sanæ mentis conjecturalem hanc subornationem admittere potest.

Constitit 2° vafros homines cum simplicium imaginatione mirificè ludere posse. Hujus lusûs exempla multa tetigi in *Tractatu de Magiâ*. Finis non datur, si quæ de vi imaginationis scripserint *Aristoteles*, *Paracelsus*, *Verulamius*, *Andreus*, *G. C. Le Gendre*, *Marchio S. Albini*,

aliique, evolvere velimus. Neque hæc modò, verùm annales medici, quam incredibiles historias non suppetunt nobis portentosæ vis imaginationis in corporis animique functiones! Indubitata profectò res est. Per eamdemque quosdam *Gassneri* actus aptè exponerem, si imaginationis *vividissimæ*, ut mox, fortiterque moveatur; *fortissimæ*, ut omne ratiocinium suffocet; *pertinacissimæ*, ut diu perseveret; effectus in ægrorum ejus nonnullis contemplarer. Facilis fieret explicata res, si multorum annorum spatio paucos modò homines tractasset. In totâ enim historiâ naturali imaginationis enarratæ gens admodùm pauca extitit, cui erat ad hunc excessum cerebri, cerebelli, & nervearum fibrillarum aptitudo requisita: at verò unus, alterque, apud nostrum sacerdotem non experitur ejus miræ virtutis operationem, sed hominum myriades; non mobilissimæ nervis puellæ, sed rustici homines, fabri ferrarii, lignarii, quorum vix mobilis phantasia est, & qui ad formidandum sacerdotis adspectum, ad rudes ejus in occipite, & nuchâ colli frictus, ad horrendos exorcismos, animo parùm admodùm moventur, adeòque a motu tantillo vix aliquam fibrarum impressionem mutationemve experiri possunt. Præ-

terquam quod omnes hos effectus ſtupendos in multis produxerit, quos neque tetigerit, nec ſonorâ & terrificâ voce, quin potius dimiſſâ, & cujus ignari erant, latinâ, allocutus eſt; imò quos ætas, & abſentia mentis, ne indè afficerentur vetabant.

3°. An, quod ad idem ferè redit, peculiari quodam ſtudio arcanæ philoſophiæ in naturæ abſcondita *ſympathiſmi*, *magnetiſmive*, penetravit animo, ſic ut arcanâ hac ſcientiâ omnia ſua portenta producat, naturæ leges, nobis ignotas quidem, ipſi verò apprimè notas, ſequutus? Miratus fui viros ſapientes integris libellis ejuſmodi ſuſpicionem probabilem reddere anniſos fuiſſe. Hæ artes ſupponunt obſequioſam hominum phantaſiam; quâ deſtitutis pluribus, ut ſupra conſtitit, non niſi in paucos ageret thaumaturgus. Verbo neutrâ hâc arte agere in eos poteſt, quos nunquam vidit, qui inexpectati ipſi ſiſtuntur, & aliquandò ab ipſo non tacti vario genere morborum torquentur, & ſanantur. Sed concidunt ejuſmodi ſuſpiciones, ex quo ridicula ea fieri vident homines, quæ circa magnetis in humano corpore vires ineptierant quidam. Imò ipſi magnetici medici teſtantur etiam validiſſimâ magneticâ operatione non mutati

tari unquam pulsum : quia nunc *Gassnerus* non modò ad suum, sed quoque ad adstantium medicorum nutum, & mutet pulsum, & eo quo optant medici vitio afficiat, ad nutum mox pulsum naturalem restituat, ac ter quaterve per horam eamdem scenam repetat, omnis in *Gassnero* evanescit magnetismi suspicio.

4°. An fortè quis suspicetur, eum apud *Paracelsum* usum *talismanorum* didicisse, quos Paracelsus *pixides cœlestium influentiarum conservatorias* vocavit, confectas ex metallo fuso & sculpto sub certis aspectibus planetarum, circum quas confluit & circuit materia planetæ, ut magnetica materies circum magnetem ? Intelligeretne *caballam*, quam scientiam definiunt esse, quæ hominem elevet ad contemplationem cœlestium rerum, & ad commercium cum beatis spiritibus ? Philosophiam scilicet rabbinorum, quam sepultam diu, *Hieron. Cardanus* & *Joannes Picus de Mirandolâ* resuscitarunt, *Agrippa* & *Rauchlinus* coluerunt ? Demus & hoc faciles : an verò hæ sublimes, ut vocant, scientiæ, per omnia sæcula vel umbram *Gassneri* protulerunt ?

5°. Tandem curationes morborum nonnullis adscribere placet ægrorum iti-

neri, mutatis curis domesticis, cibis, potibus, atmosphæræ; quibus sanè constat multos in sanitatem redire, qui longiore itinere ad fontes sotericos pergunt, etiam priusquam fontibus utantur. Verùm legimus miseros domi, miseros in itinere, miseros ad *Gassneri* pedes deponi, dimittique curatos.

Igitur, ut ex omnibus aliquid colligamus, inter eos quos curavisse *Gassnerus* dicitur, supponamus 1°. esse nonnullos qui mutatione aëris & itineris motu curati fuerint; ut alias ad fontes contingit, absque eo tamen ut indè salubritati fontis quid laudis detrahatur. Supponamus 2°. eum esse in occultâ philosophiâ per *sympathiam*, per *magnetismum*, per *talismanos*, & tandem per *caballam*, profundissimè eruditum; cùm nemo totâ hâc occultâ philosophiâ *simpliciter*, minimè verò *magicè* cultâ, unquam quid genuerit prodigiis *Gassnerianis* simile, non est profectò cur hæc illi philosophiæ adscribamus. Supponamus 3°. eum per suos gestus, quandoquè terrificos ac violentos, in nonnullis, qui generis nervosi irritabilissimi essent, aliquam mutationem naturalem fecisse; utique in hominibus haud facilè irritabilibus facere mutationes, & quidem tantas,

naturali & prorsùm mechanicâ actione haud videtur posse. Supponamus 4°. etiam vaferrimas collusiones inter eum & ægros intercessisse, demonstratum supra fuit, hanc non nisi cum paucis admodùm intercedere potuisse.

Forsan ex omnibus quis sic argumentabitur. Curatio *in paucis* fraudulentâ collusione facta est; *in paucis* aptâ dispositione phantasiæ; *in paucis* itinere & diætâ. Sed horum paucorum additio numerum aliquem constituit. Jam morborum chronicorum, quorum numerus curatorum maximus, ac ferè solus est, numquam curatio dici poterit, nisi in eorum pluribus consueta morbi periodus semel iterùmque, sano ægro, præterierit; cùm jam audiamus recurrisse periodum nonnullis, vel morbos alios materiei ejus metastasi subortos esse; quis asserere huc usque potest vel quemquam arte *Gassnerianâ* fuisse curatum?

Argumentum sanè hoc meretur attentionem. Si nihilominùs thaumaturgi encomiastæ hoc attendere nolint, sed ejus curas passim certas, & modo humano ac naturali minimè peractas esse, neque simplici exorcistæ virtute eumdem hæc miracula patrare posse contendant; re-

gero, cùm neque per Deum, ut demonstravi, neque per naturam, ut ipsi fatentur, hæc faciat, encomiastes ejus nos cogere ut dicamus *Gassneri* portenta opera diaboli esse.

FINIS.

Vandtine,

Calculus.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

12 lo. 11 vol. Dgg